



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Historiæ Societatis Jesu Pars ...

Complectens Res Gestas Sub Mutio Vitellescho ... Ab Anno Christi MDCXVI.
Societatis LXXVII. / Auctore Julio Cordara Societatis Ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCL

Historiæ Societatis Jesu Partis Sextæ Liber Decimus Annus Chr. 1625. Soc.
86.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98108](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98108)



HISTORIÆ SOCIETATIS JESU PARTIS SEXTÆ LIBER DECIMUS

ANNUS CHR. 1625. SOC. 86.

RES ROMANÆ.
Mors & elo-
gium P. Franci-
sci Sacchini.



INNO piaculari, labentis sæculi vigesimo quinto, pie moritur Romæ P. Franciscus Sacchinus, unus ex historiae nostræ scriptoribus, ac sane dignus, qui quam tot illustribus viris aternitatem donavit in annalibus Societatis, eandem a nobis referat. Natus in tenui fortuna Paciani, quod oppidulum est Perusinae dioceseos, indolem tamen sortitus auream, ingenium acre vividumque, ac liberalem educationem, facile est consecutus anno ætatis suæ duodevigesimo, ut in nostrum ordinem reciperetur. Confesto orbe studiorum, cum in aeternioribus præsertim litteris eminere videretur, Rhetoricam profiteri est iussus in collegio Romano. Eo in munere, quod cæteroqui molestum ac laboriosum est, plures annos posuit, nec recusabat in eodem consensescere, nisi moderatores transferendum censuissent ad continuandam post Orlandinum historiam, cui provinciæ, cum propter limatum scribendi genus, tum propter prudentiæ solertiæque laudem videbatur aptissimus. In ordinandis conscribendisque suis illis, quæ habemus, voluminibus, annos ipsos confecit decem & octo, quo tempore intra Quirinalem probationis domum abditus, raro admodum se dedit in publicum. At eum Mutius latere perpetuo non permisit. Virum nostri moris experientissimum dignum censens, qui ad tractandas ordinis universi habenas adhiberetur, eundem sibi assumpsit a secretis, suorumque consiliorum omnium conscium, & curarum participem esse voluit. Ita post illustratam calamo Societatem, ipsius etiam administrationem Sacchinus opera consilioque juvit per annos octo, donec xvii. Cal. Januariæ diem extremum in Romana domo Professorum clausit, annos natus quinque supra quinquaginta. Cum tot ingenii industriæque ornamentis certabant in Sacchino reliquæ dotes, quibus viri religiosi maxime commendantur. Mutius Vitelleschus, qui utique hominem habebat intimo usu ac familiaritate perspectum, affirmare solebat, videri illum sibi virtutum pulcherrimarum exemplar numeris omnibus absolutum, in quo tamen humilitas, & modestia multo supra communem modum excelleret. Sane, quod ad modestiam attinet, oris atque oculorum compositione, incessu ipso,

ipso, ac totius fere corporis habitu, nullus illum novitius superabat. Raro efferebat e suo cubiculo pedem, multo rarius domo. Quoties vero prodiret in publicum, oculos humi defixos continebat sic, ut ad palatia, fontes, fora, simulacra, obeliscos, aliaque id genus, quæ multa Romæ, ac splendidissima sunt, nec obtutum converteret. Quæ esset animi demissione, ex una duntaxat re, conjectura fieri poterit, quam ad specimen cæterarum subijcio. Scitum est, quæ cura obscuritatem natalium celare studeant ii, qui sperant celari posse. Est id humanæ infirmitatis, quod cum in omni mortalium classe videre est, tum magis fortasse inter eos, quos pares quodammodo color vestium, & commune institutum vitæ facit. Sacchinus humilitatem originis suæ adeo non dissimulabat, ut ostentaret potius, atque ultro ignorantibus ingereret. Accidit, ut Romanæ nativo pago adveniret pater ipsius senior. Is, visendi filii percupidus, contendit in collegium Romanum recta; utque erat in amictu rusticano, ac parum sane decenter comptus, ita filio se obtulit, dum maxime ille in splendida litteratorum ac nobilium corona orationem luculentam habebat. Vetulum ut conspexit Sacchinus, nihil conturbatus, surrexit honoris causâ, subeuntem amantissime salutavit; eoque confidere parumper jussit, auditoribus, qui hærebant admiratione defixi, significavit, quem viderent hominem, suum parentem esse: attonitis ad eam rem plerisque adstantium, quibus utrumque novum accidit, & tam obscuro esse illum genere, & tam illustri virtute. Tantæ demissioni, ut ferme usuvenit, virtutes cæteræ consentiebant. Obedientia ad majorum nutus semper prompta, amor paupertatis summus, custodia legum domesticarum exacta, usus demum orandi, & conjunctio cum Deo tanta, ut inter multiplices sui muneris curas unum cogitare Deum videretur. Quæ animi tranquillitate semper vixerat, eadem mortem etiam immaturam excepit: nec temere existimarunt domestici, instantem migrationis diem fuisse illi divinitus prænunciatum. Triduo certe ante quam moreretur, cum rem divinam fecisset, videreturque ut cum maxime valens, misit ad Præpositum Generalem nuncium, se tunc ad valetudinarium properare, ac brevi esse moriturum, quod re ipsa accidit.

Eodem anno excurrente, restituitur Laureto simul, & Societati collegium Illyricæ juventutis, quod utrique plures ante annos ademptum, aliumque in locum, & ad alios moderatores translatum fuerat. Ut quæcunque pertinent ad hoc argumentum quam brevissime peragam, Gregorius XIII. jam inde ab anno superioris sæculi octogesimo instituerat, ut delecti ex Illyricæ natione clerici triginta alerentur Laureti, ac bonis artibus formarentur sub disciplina nostrorum, quem in usum pensionem annuam assignaverat ex sacræ ædis proventibus persolvendam. Contubernium ita conditum, nec minus pietate quam litteris florens, Clemens VIII. duodecimo post anno dissolverat: ne tamen fructu Gregorianæ beneficentiæ omnino Illyricæ gens fraudaretur, duodecim collegii ejusdem alumnos transfulerat in Seminarium Romanum, alendos uti prius expensis Lauretanæ domus, & a nostris hominibus educandos. Eos loco moverat denuo post annos septem: cumque hoc medio tempore collegium erexisset Romæ, quod nunc ab ipsius nomine Clementinum appellatur, huc alumnos Illyricos migrare jufferat, fructuos in posterum institutione Patrum de Somascha, quibus collegium illud nobilissimum commissum est. Sed neque hic perpetuo constiterunt. Urbanus VIII. animo reputans, commodissimum esse trajetum ex Illyrico in Picenum, Adriatico tantum sinu interjecto: æquum præterea existimans, ut gentis illud unicum seminarium, quam minimum abesset a sacra Virginis domo, quæ ex ora Illyricæ in Picenam fuisset olim advecta: alias demum Lauretani oppidi commoditates, quas ob oculos habuisset collegii fundator Gregorius, pro merito æstimans; optime consultum iri censuit Ecclesiis Illyrici, si contubernium nationis illius in sedem suam pristinam, & in formam a fundatore decretam restitueretur. Auditis ergo Cardinalibus Congregationis de propaganda fide, iisque consilium cum

Collegium Illyricum Laureto Romam translatum.

Iterum Laureto, & Societati redditur.

cum magno assensu probantibus, decrevit ut remitterentur Lauretum alumni; auferentur numero, atque iterum Societati subicerentur. Diploma hæc de re dedit Pontifex ordini nostro præclarum, amplissimis verbis prælocutus, ea se ad id decernendum moveri præsertim causâ, quod experientia compertum esset de singulari diligentia, integritate, fide, qua educari solerent ab hominibus Societatis adolescentes in ejusmodi seminariis, & olim Illyrici nominatim educati fuissent.

4.
RES PROVINCIÆ
VENETIÆ
Academia in
collegio Man-
tuano inchoata.

Simili judicio in provincia Veneta nostrum ordinem illustravit Ferdinandus Mantuanorum dux, novum instituens in collegio Mantuano gymnasium, ubi publice traderentur disciplinæ omnes ac litteræ, & aliqui semper nostrorum juvenum philosophicis ac theologicis studiis operarentur. Princeps humanis divinisque litteris non leviter tinctus, & pridem S. R. E. Cardinalis, non ita regnandi curis absorbebatur, ut non identidem superioris ætatis studiâ recoleret. Hæc sæpius retractanti, venerat in mentem aperire Mantuanis lyceum omnium disciplinarum, earum vero quas docere solet Societas, professores sumere de Societate. Negotium apud se deliberatum, & Romæ apud Præpositum generalem compositum, Mantuæ feliciter inchoaverat anno labentis sæculi vigesimo tertio. Evocati fuerant in illud collegium ex omni provincia professores idonei, publicatum novum generale gymnasium, primas prælectiones ipse Dux magna nobilitum corona stipatus honestaverat præsentia sua, summis infimisque recognoscentibus commune civitatis beneficium, sibi gratulantibus, quod litterato subesse Principi contigisset. At coeptis adeo secundis objecta mox fuerat præter expectationem mora, quæ nihil fere spei reliquum faciebat. Dotem novi gymnasi constituerat Ferdinandus in pingui sacerdotio, quod jure, ut vocant, patronatus beneficium erat ipsius: nec enim dubitabat, quin donationem Pontifex maximus ratam habere vellet. At sua illum fefellerat opinio. Sacerdotium abstulerat a Pontifice magnus Præful, cui Princeps justas ob causas cogebatur illud utendum permittere: hoc autem sublato censu, non apparebat unde confici negotium posset. Actum proinde putabant nostri de academia vix instituta. Princeps de ea nec verbum faciebat, illatum de industria sermonem abrumpebat; prorsus ut videretur ejus perficiendæ curam penitus abjecisse. Et forte abjecerat: cum accepit litteras Eleonoræ Imperatricis sororis suæ, quæ cessantem ad perficiendâ coepta incitaverunt. Iis litteris amantissima nostri ordinis femina significabat, perjurandum accidisse Cæsari ac sibi, quod audierant de collocato Mantuæ gymnasio academico, primisque in eo partibus Societati traditis: id enimvero gloriosum ipsi fore, nec leve commodum civitati allaturum: tantum optare se, ut opus egregio consilio coeptum, stabile ac perpetuum esset. Sororis nequaquam ficta gratulatio vetus refricuit studium, eosque stimulos addidit Principi, ut operi manum ultimam continuo adhiberit. Quosdam possidebat fundos, sibi nuper in ditio- ne Corrigienti acquisitos. Eos collegio attribuit statim, coemptisque ædibus, & ad præsentem scholarum usum accommodatis, academiam perfecit. Quam large dotata fuerit, argumento esse potest, quod sine anni censebantur in collegio Mantuano socii amplius quinquaginta.

5.
Hortatu Impe-
ratrix Eleo-
noræ, ac Ducis
sumptu perfi-
citur.

6.
Templum So-
cietatis Bono-
niæ multis in-
commodis ob-
noxium.

Beneficium in speciem exilium, quod optatissimum tamen erat, debuerunt eodem anno socii Bononienses Archiepiscopo ejus urbis Ludovico Cardinali Ludovisio, cujus erga nos egregia voluntas & merita tandiu vivent in memoria Societatis, quamdiu ipsa Societas vivet. Ædes Lucie sacra, quam ante annos sexaginta Pius IV. Pontifex attribuerat nobis Bononiæ, curialis erat, & curiæ quidem perfrequentis: quæ res, ut æstimare pronum est, non exiguum nostris ministeriis incommodum afferebat. Canonici præterea quidam regulares vetus in ea jus veluti patronatus exercebant, & a nostris certa quotannis servitutis signa exigebant, quorum illud gravissimum, quod sæpius intra annum in S. Lucie majorem peragebant liturgiam, & omnino ut in templo sui juris dominabantur. Ob hæc deliberaverant sæpe nostri de transferendo in aliam urbis

urbis regionem collegio, aliaque sibi comparanda æde, quæ tot incommodis non esset obnoxia: ac fecissent plane, nisi intra ædes Lucianas cubiculum extitisset Xaverii quondam hospitio consecratum, quod tanti viri monumentum relinquere molestum erat. His ita se habentibus, Bononiam venit ad ineundam Ecclesiæ suæ possessionem Ludovicus Ludovisus Cardinalis: atque ut audivit nostrorum querelas, faciendum sibi statuit, ut tot incommodis Societatem eximeret, suumque illi templum liberum, & immune ab omni servitute præstaret. Et vero præstitit. Ad Canonicos regulares quod attinet, inter illos & nostros certas condiciones dixit, in quas utrinque ex æquo & bono conventum est. Parocho S. Lucie annuam pensionem obtulit, ac facile persuasit, ut munus laboriosum, salvo muneris emolumento, dimitteret. Gravioris negotii erat amovere antiquissimam curiam, quæ in æde Lucie semper fuisset: tamen partitus plebem inter duas proximiores paræcias, rem nobis optatissimam sine cujusquam damno, aut querela confecit. Hujus lætitiæ rei auxit incredibiliter oblatum repente subsidium in fabricam ejusdem ædis, quam ante duos annos nostri, magis pro tantæ urbis dignitate, quam pro præsentis copiamoliri coeperant. Astitit porro subsidium, qua parte minime expectandum videbatur. Patres Victorianus Premolus, & Franciscus Stadiera, venerant cum evangelico ministerio Gazium (montanum oppidum id est territorii Bononiensis, diei iter a Bononia), ac præter alia multa non improspere gesta, veteres extinxerant inimicitias, quas inter se capitaliter exercebant duæ nobiles & opulentæ familiæ, Tanaria hinc, inde quæ dicebatur a Villa. Ejus officii causa cum benevolam erga nos animum induisset Scipio Tanarius, vir ordine sacerdos, statuerat bona sua relinquere collegio Bononiensi, cum hoc ut in ædificium novi templi impenderentur. At pium viri propositum multis litibus & contentionibus remorabatur ejus frater Bernardus, neque id tamen ulla erga nos malevolentia (erat quippe rebus nostris addictus), sed tantum ut hæreditatem ad se traheret. Accidit, ut gravi morbo Bernardus corripereetur. Percussus metu vicinæ mortis, cursorem continuo mittit Bononiam ad collegii nostri rectorem, unum aliquem sociorum flagitans, qui morituro assisteret. Adest nulla mora Sacerdos: ægroto peccata confitenti animum & aures præbet, angores eximit, spem optimam vitæ melioris ingerit. Agi coeperat de testamento. Sacerdos procul absistere, ac ne audire quidem de illo velle: non de caducis rebus, sed de sempiternis acturum se venisse dicere. Scribuntur nihilominus tabulæ, quæ cum post testatoris obitum resignatæ fuerunt, magnam vulgo admirationem commoverunt. Iis tabulis Bernardus, non solum quod decesserat ipsius frater de bonis in usum sacri ædificii relinquendis probabat, verum etiam sua ipse bona in eundem usum transcribebat. Usque adeo variant hominum viventium, ac morientium judicia.

Decesserunt interea provinciæ Venetæ Patres egregii duo, Ludovicus Foliatus, & Alexander Caprara, quorum est memoria annalibus consignanda. Foliatus, patria Brixienis, numerabat vitæ annos tantum quadraginta, quorum viginti circiter in Societate confecerat. Peregrinationem indicam summis precibus expetierat eo animo, ut pro Christo mori contingeret. Diu dilatus a Mutio, dum Ravennæ collegii proventus administrat, eodemque tempore juvandis proximis haud segniter operatur, laborum ac vitæ finem attingit, postridie Idus Septembres. Nulla est hominis religiosi propria laus, qua non insigniter emineret. Curator licet rei œconomicæ, nec frigida ciathum audebat haurire, nisi prius veniam impetrasset. De se tam humiliter sentiebat, ut nihil infra duceret. Ægrotus rogavit medicos, ne se nullius hominem curarent medicamentis ullius pretii, quæ aliis deberi ajebat, non sibi. Morientium vaticum, licet differendum censerent medici, precibus propemodum importunis obtinuit, eoque vix sumpto, præ ardore febris mente motus est, nec ante sibi redditus, quam sacro inungendus oleo fuit. Tunc, integris omnino sensibus, iterum atque iterum monuit circumfusos lectulo Patres, ut humi pro-

To. I.

B b b b

cum-

7.
Iis eximitur auctoritate Archiepiscopi Cardinalis.

8.
Novum ex imperato subsidium in eadem fabricam.

9.
Obitus & elogium P. Ludovici Foliati.

10.
Mors & elo-
gium P. Ale-
xandri Capra-
ra.

cumberent, & præsentem venerarentur Virginem Dei matrem: nec multo post extremum spiritum duxit. Caprara, ex nobili familia natus Bononiæ, raram ingenii præstantiam cum pari virtute ac pietate conjunxit, merito ut dubites ultra plus eminuerit. Vixit apud se usque ad annum ætatis vigesimum secundum: quo tempore latinis græcisque litteris eruditus sub disciplina Caroli Sigonii, tantum profecit, quantum colligere est ex libello *De Benedictione Episcopali*, & ex *Vita S. Petri*, quæ duo opuscula adhuc adolescens latine conscripsit eleganti stilo, ediditque haud vulgari approbatione doctorum. Quantum vero Sigonius discipulo tribueret suo Alexandro Caprara, quanti ingenium ejus ac judicium faceret, testamento significavit, quo suas lucubrationes illi committebat uni, ut expolitas nempe, ac pro arbitrio suo emendatas vulgaret. Et id quidem Caprara egregie perfecit ex parte. At simul ac volumen est editum *De Regno Italiae*, vir potentior invasit in cætera magni illius ingenii monumenta, maluitque sua unius esse, quam publica: quo effectum maligne, ne alia similiter in lucem proferrentur, Cæterum in Societate Alexander, est litteras colere diligenter perrexit, præcipuam curarum contulit ad exorandum religiosi virtutibus animum. Variis ministeriis occupatus, privatus & rector, semper domesticis ad omnem sanctitatem exemplo præluxit. Divinarum rerum contemplationi, præter constituta legibus spatia, plures quotidie horas dabat, neque cubitum ante se recipiebat, quam orasset in templo, & ad multam plerumque noctem. Inde illi rerum humanarum contemptus summus, inde amor paupertatis, inde animi demissio, & in omnes effusa charitas, sed maxime in pauperes, quorum grege nunquam non obseptum videres, cum dabat aures in templo poenitentibus. Ob eximiam sacrarum litterarum, & canonici præsertim juris scientiam, magna erat Alexandri auctoritas, cui momentum addebat non leve integritas vitæ, atque opinio sanctitatis. Mantuæ, ubi diu vixit, ac demum vivere desuit, ad illum unum, tanquam ad oraculum, referebantur quæstiones quæque de moribus difficillimæ. Illum ex ordine quolibet viri gravissimi, illum fidei Quæstiores in rebus dubiis consulebant. Episcopus Mantuanus Franciscus Gonzaga sua illi aperire consilia omnia, nihilque gravius statuere eo inconsulto solebat: ut amicum prorsus, adjutoremque præcipuum pastoralis ministerii habebat. Obiit vir præclarus pridie Nonas Octobris, ætatis anno septimo supra sexagesimum, elatusque est pari domesticorum ac externorum luctu. Canonici primariæ ædis honores funeris illi persolverunt, populus ut virum omnium opinione sanctum concursu maximo celebravit. Nostri vero, non promiscue cum cæteris, sed proprio seorsum sarcophago, qui honor apud nos rarus, eundem condiderunt.

11.
RES SICULÆ.
Mors & elo-
gium P. Fran-
cischi Torres.

Pari sociorum mœrore abripitur provincia Siculæ P. Franciscus Torres; nisi quod hujus jacturam viri acerbiorum fecit ipsius adhuc firma & florens ætas, ac præterea mortis genus, quod non tam naturali morbo, quam tristi eventui luctuosoque fuit imputandum. Nam cum equum conscendisset Messanæ profecturus nescio quo, dejectus humi est tam graviter, ut crus fregerit: quo ex vulnere, post savissimos cruciatus mira fortitudine toleratos, diem clausit extremum ad Nonas Martii, annos natus quadraginta septem. Cæterum ingenii, doctrinæ, ac sanctimonie præsertim magnitudine Torresius sociorum Sici-liensium nulli secundus habebatur. Adhibitus initio fuerat tradendis altioribus disciplinis, idque Panormi ac Messanæ præstiterat cum incredibili acclamatione doctrinæ. Eum deinde Mutius traducendum censuerat ad præfecturas, & collegio Drepanitano primum, paulo post Mamertino rectorem imposuerat. At hunc maxime magistratum dum gerit, acerbissimo funere, ut supra demonstratum est, occubuit, regiminis triennio nondum exacto. Eleverunt illum socii Messanenses, ac merito: vix enim fingi potest religiosi prædis propria virtus, quæ non esset in Torresio summa. Illud primo fixerat loco, non modo nihil emolumentum esse sibi capiendum ex potestate, sed quæcunque essent domi deterrima, sive in victu, sive in vestitu, ea ad se potissimum pertinere.

12.
Qua norma
uteretur in re-
gendis collegiis.

Hoc

Hoc rectoris jus primum ac præcipuum esse affirmabat, quod posset arbitratu suo sibi seponere asperiora, ac viliora. Sic animatus, nunquam induebat vestem, quam non ante aliquis ex domesticis adiutoribus exuisset. Cubiculum suum adeo non patiebatur ab ullo Fratrum curari, ut potius Fratrum in se curas, & ministeria reciperet ipse identidem, obiretque incredibili alacritate. Septima quaque die, qua die juniores nostri solent in suburbanum, animi causa secedere, remanens ipse domi, eam mundabat, atrium & scholas suis manibus everrebat. Persuasum deinde habens, potestatis gladium non esse exerendum, nisi cum necessitas cogit, nihil imperiosius præcipiebat cuiquam, nec fere præcipiebat quod impetrare rogando posset. Multo minus poenis coercerebat quod solis emendandum verbis speraret, atque ex ipsis verbis nunquam adhibebat asperiora, cum tantundem valiturum putabat mite & urbanum alloquium. Postremo reputans, patrem se suorum esse, non principem, nec illam unam religioso præfidi curam incumbere, ut legum & disciplina custodiam exigat, verum etiam ut familiae suæ necessitatibus consulat; sollicitè curabat, ne quid domestici desiderarent, quod ad valetudinem & honesta comoda pertineret: qua paterna charitate eos ita devinciebat sibi, nemo ut contristare illum vellet, nemo hortantem monentemque fastidiosius audiret, sed magis ejus nutus voluntatesque exequerentur cuncti certatim, & quasi obsequio præverterent. At non item Torresius erga se mansuetus, ac mitis. Diceres, exhausta erga alios benignitate, nihil illi fuisse reliquum quod sibi impenderet. Victu utebatur parcissimo, nunquam delicatiore, aut exquisito. Pervigilia B. Virginis solo pane & frigida transigebat. Quotidie se flagris immitibus concidebat. Somnum carpebat brevissimum, nec unquam sine doloris sensu, molestiaque. Ubi cætera deessent, hærebat lateri cilicium fetis asperum, quod sibi olim præcinctum, deinceps nunquam abjecit. Paupertatem ita colebat, ut nemo magis. Sæpe in triclinio gaudebat mendicato vivere, non alios gustans cibos, nisi quos de genu corrogasset ab assidentibus mensæ Patribus. In illo diffracti cruris infortunio, quod supra narratum est, vir tantus, & collegii rector, minime passus est scindi calceum, qui non aliter extrahi videbatur posse: negavit nempe tanti esse se, ut pro salute sua perdendus esset calceus, cætera detritus. Moriens nihil amplius admonuit circumfusos lecto socios, nisi ut beatam Dei Parentem impense colerent ipsi, ejusque cultum pro viribus amplificarent. Ediderat illum in lucem Panormum, Societas ab annis undetriginta inter suos censebat.

Etiam provincia Germaniæ superioris luctuosum habuit anni labentis initium obitu P. Jacobi Gretseri, cujus eruditione & virtutibus, non ea solum provincia, sed universa Societas illustrabatur. Quam non æstive instructus esset a litteris, quam solida, quam multiplex, quam exquisita ejus esset litteratura, diserte testantur libri amplius centum ab eo editi, quorum indicem legere est in Bibliotheca scriptorum Societatis. Aciem ingenii perspicacis præcipue strinxit Gretserus contra errorum architectos: Societatis deinde institutum contra calumniatores egregie propugnavit, non tantum adductus amore veritatis, & odio mendacii, sed etiam quia Societatis famam arbitrabatur ad Ecclesiæ munimen non mediocriter pertinere. Theologiam annis uno & viginti docuit in Academia Ingolstadtensi; eodemque tempore, quod vix credibile videatur, otium nactus est, quod aliis quoque ordinis ministeriis impenderet, promptus semper ac paratus ad omnes moderatorum nutus, seu dicere juberetur ad populum, seu confitentem audire, seu ad proximos pagos excurrere diebus festis. Neque vero minori tenebatur orandi studio, quam legendi scribendique. Ad quotidianas, & communes apud nos preces, quod pensum religiosissime, semper peregit, bene multas addebat pro defunctis, & iis maxime, qui bene de re nostra communi essent meriti. Ut audierat, novum alicubi domicilium Societati fuisse conditum, pro fundatore quinquages tertiam quam vocant rosarii partem decurrebat. Et fama est, quosdam post mortem sese illi spectan-

To. I.

B b b b 2

dos

13.
Quam rigidum
exereret im-
perium erga
se.

14.
RES GERMANIÆ
SUPERIORIS.
Mors & elo-
gium P. Jacobi
Gretseri.

dos exhibuisse, ut precum suffragia exposcerent. Splendorem & pompam, quidquid ageret scriberetve, Gretserus semper fugit, silentium ubique ac tenebras captans. Hominum laudibus adeo nihil delectabatur, ut offenderetur illis potius, ac turbaretur. Nomen suum libris, quos edebat, præscribi moleste ferebat: oris vero effigiem coloribus adumbrari, nunquam est passus. Ortum habuerat Marckdorfii, in oppido Acronianæ regionis. Marckdorfenses, qui tali cive plurimum gloriarentur, miserant Ingolstadium legatos cum mandatis, ut ejus imaginem coloribus conficiendam curarent: hanc nimirum decreverant in ædibus publicis perpetuo servandam, ad communis patriæ decus & ornamentum. Ut multum conarentur legati, nunquam ab homine modestissimo impetrare potuerunt, ut se pingi sineret. Jumentum, ajebat, cives mei pingendum curent, habebuntque imaginem mei quam simillimam. Tam de se abjecte sentiebat, qui erat omnium opinione doctissimus, totaque Germania, ut avi sui miraculum celebrabatur. Tot virtutibus cumulum addidit patientia diuturnis probata morbis, quibus demum consumptus est Ingolstadii 111. Cal. Februarii, anno ætatis sexagesimo tertio, ab inita Societate septimo supra quadragesimum. Sed omisis tantisper laudibus mortuorum, ad viventium labores stilum convertamus.

15.
Spiritualium
exercitiorum
fructus Landi-
huti.

16.
Nostri duorum
Parthenonum
curam gerere
coguntur inviti.

17.
Molestiæ no-
stro missionario
illatæ ob foda-
litates Rosarii.

Landishuti duo nostrorum excolendum susceperant sacrarum virginum monasterium, cujus erat disciplina ex magna parte collapsa. Sacris B. Ignatii commentationibus perfecerunt, ut brevi sua loco dignitas redderetur. Excitata est inter virgines pietas pristina, sancita animorum concordia, mores ad primævæ institutionis formam revocati. Inducta ibidem pia consuetudo divinas quotidie res ineditandi, neque id tamen ad cujusque libitum, sed ad præinitam temporis mensuram. Denique, ne præsens ardor iterum diuturnitate temporis refrigesceret, communi virginum consensu lata lex, ut in posterum religiosæ professionis sacramentum instauraretur in annos singulos, præmissis trium dierum secessu, in quo singulæ moniales uni Deo ac sibi vacarent. Erant alii duo parthenones in Helvetia, Rathufenis, & Eschembachensis, quibus per annos triginta collegium Societatis Lucernense ministros pœnitentiæ dederat. Hoc nostri onus, etsi a legibus institutisque suis alienum, susceperant ex obedientia Romani Pontificis, tulerantque præscripto temporis spatio, quod in hunc annum desinebat. Jam ergo rector collegii Lucernensis P. Jo. Baptista Cysatus, solum se ab ea cura existimans, virginibus utriusque monasterii significari jussit, ut deinceps aliunde sibi quærerent sacerdotes, quibus a confessionibus uterentur. Id statim atque Lucernæ rescitum est, dici vix potest quam indigne acceptum vulgo fuerit, maxime a Senatoribus. Nullo modo permitendum ajebant, ut Societas se abdicaret munere semel suscepto. Erant qui nostris minarentur exilium, nisi pergerent quas dixi virgines, ut hæcenus fecerant, audire pro confessione, & ad pietatem instituere. Commotus præ reliquis est Apostolicus Nuncius, Alexander Scappius: utque habebat a Pontifice mandata, ne nostros sineret ab imposito semel ministerio desistere, de rectore questus graviter, quod rem ejusmodi inceptasset inconsulto se, eidem pro Nuncii potestate præcepit, ne monasteria desereret. Jussa fecerat jam obediens rector, jam procerum indignatio conquieverat: cum novum Pontificis diploma allatum est, quo injuncta pridem illarum virginum procuratio Patribus prorogabatur ad plures annos.

Gravioris negotii fuit litem componere, qua insignis operarius Societatis, P. Joannes Faber, implicitus inveniebatur ob causam nunc explicandam. Celebrabantur tota Helvetia apostolici viri excursionibus, pietati utiles, populis saluberrimæ: erat autem illius studium fere præcipuum, ut cultum divinæ Matris quibuscunque posset modis augetet. Inter ceteros colendæ Virginis modos, Rosarium maxime prædicabat, ac passim ditionis Lucernensis Curionibus persuadebat, ut in suis quisque ecclesiis rosarii sodalitates instituerent: quod tamen ut rite fieret, prius impetrandum curaverat a generali Magistro

ordi-

ordinis Prædicatorum diploma, ut quascunque Parochi erexissent sub rosarii titulo sodalitates, eodem esse jure censerentur atque illæ, quæ in ecclesiis ordinis Dominicani ubique gentium sunt institutæ. Ecce autem id agenti obloqui ex adverso vir ordine religiosus, multaque in vulgus serere, quæ pio concionatori constarent invidiam. Nullas nempe esse sodalitates ita conditas: quod obtenderetur diploma, dolo malo extortum fuisse: Jesuitam in eo negotio simoniacæ labis infamia non carere. Quibus sermonibus difficile est explicatu, quantum offenderentur credulæ plebis animi. Offensio ut tolleretur, placuit deferre causam ad Apostolicum Nuncium Alexandrum Scappium, cujus sententiæ par erat omnes ex æquo acquiescere. Causa cognitionem cum peregisset accurate Nuncius, accusatorem calumniæ damnavit, Fabrum vero, non modo crimine, sed etiam suspicione criminis liberavit, jussitque pergere, ut coeperat, sodalitia rosarii pro viribus propagare. Eo decreto videbatur omnis controversia composita, non fuit tamen. Exiitit haud multo post alius ejusdem ordinis religiosus, qui haud minore contentione adversus Fabrum, & institutas ab eo sodalitates insurrexit. Is quo facilius ad silentium compelleretur, itum est per litteras ad generalem Magistrum ordinis Dominicani Seraphinum Siccum, impetratumque ab eo tale diploma, quod omnem in posterum dubitationem eximeret. Per hanc occasionem Siccus, beneficium ut cumularret, dedisse dicitur ad Fabrum officiosissimas super negotio litteras, eique impense commendasse, ne remitteret de pio studio, quo rosarii religionem amplificare instituisse. Illud sane constat, perrexisse exinde Fabrum institutum exequi, nemine interpellante. Nec ostenta defuerunt, quæ ipsius cœpta divinitus comprobarent. Glaronæ, dum oppidani certatim novo sodalities se aggregabant, conspecta est supra curialem ædem Virgo beatissima in aere sublimis una cum S. Dominico, quasi delectaretur pio concursu & ardore civium, eosque nomen dare sodalitati gestientes in suam clientelam acciperet: cujus rei fama regionem pervagata, mortalium innumeros excitavit, ut velent Angelorum Reginam tali genere obsequii demereri. Jam ergo sodalities civitates quæque deposebant, in iis proferi nomen summi inimique festinabant. Aræ in ejus honorem passim communi sumptu erigebantur, utque ornarentur quam splendidissime, certabatur. Solummodo pagi cujusdam incolæ oblatum a Fabro sodalities contumacius repulerunt: at non impune. Pagus haud multo post, quod non sine vulgi admiratione notatum est, incertum quo casu, subito incendio conflagravit: rem ita plerisque interpretantibus, ac si poenas illi darent contemptæ religionis.

Per hæc Friburgi in Helvetia, quod dudum erat in votis ut corpus ven. P. Petri Canisii ab æde curiali, in qua jacebat, ad propriam Societatis transferretur, perfectum est: magno tamen labore, & longa negotiatione perfectum, ut hoc loco aggredimur a suis initiis exponere. Ante annos viginti octo, cum decessit Canisius, erat quidem Friburgi collegium Societatis, sed proprium collegio templum nondum erat. Quocirca illato funere in S. Nicolai, ædem urbis primariam, ibi compositum fuerat venerabilis viri corpus ante aram principem. Hunc locum, increbrescente fama beneficiorum, quæ Canisium invocantibus præstabantur, cives & accolæ incredibili concursu, ac religione celebrabant: cum nostri, qui propriam interea sibi extruxissent ædem, æquum existimantes, sodalem suum apud eosdem requiescere mortuum, inter quos vixisset, reposcendum a Canonicis pretiosum pignus statuerunt. Auditi hac de re semel, iterum, ac tertio; semper, qui erat planus negandi modus, dimissi fuerant sine responso. Cum appareret, sine valida deprecatione confici haudquaquam posse negotium difficile & impeditum, deprecatores denique adhibuerunt Sedis Apostolicæ Nuncium apud Helvetios, Alexandrum Scappium, qui, ut erat vir æquus in paucis, & nostri nominis amantissimus, minime recusavit tam justæ causæ patrociniū suscipere: cumque advenisset forte Friburgum, nihil non egit cum Canonicis, ut Canisii reli-

18.
Prædicantur
auctoritate ge-
neralis Magi-
stri ordinis Pra-
dicatorum.

19.
Cultus Rosarii
miraculis com-
probatur.

20.
Patrum Fri-
burgensium cu-
ræ de recupe-
rando corpore
V. P. Canisii.

21.
Conditiones
exiguntur pa-
rum aquæ.

22.
Mitigantur
conditiones, ne-
gotium ex in-
sperato confici-
tur.

23.
Corpus Canisii
coram testibus
recognoscitur.

reliquias redderent Societati. Post multa ultro citroque jactata, eo denique rem adduxerat, ut Canonici responderent, se enim vero reddituros, si tamen Senatus urbis consentiret, si Societas certas quasdam conditiones admitteret: quo responso erectus in spem negotii feliciter conficiendi, dari sibi senatum petiit. Datus est: non ille tamen ordinarius capitum viginti quatuor, sed qui extraordinarius dicitur, constans senatoribus omnino ducentis. In eo confessu peroravit Nuntius pro jure Societatis tam diserte, graviter, & apposite, ut re in deliberationem missa, perrogatisque suffragiis, vicerit eorum sententia, qui Societati favebant. Verumtamen quæ additæ sunt conditiones, nisi saltem ex parte mitigarentur, minime videbantur nostris admittendæ. Prima erat, ut si Canisius Ecclesiæ factis aliquando inscriberetur, Canonici servandum in æde sua reciperent ejus caput, & unam costarum. Altera, ut servaretur interea depositum sub tribus clavibus, quarum unam nostri custodirent, Canonici alteram, tertiam Magistratus urbanus. Postrema, ut quæcumque ad Canisii sepulchrum offerrentur a pietate fidelium, eorum dimidium Canonicis cederet in usum fabricæ, & fartatectæ templi. Primam nostri conditionem admitterebant facile, nec inviti. In secunda non nihil hærebant. At postremam de pecuniis ad Canisii tumulum sponte inferendis, minime inducere poterant animum ut ratam haberent: inde enim videbant consequi, ut exstare deberet in ipsorum templo arcula ad excipiendas piorum largitiones, quæ res, licet usurpetur alibi passim, a nostris moribus & institutis alienissima est. His de causis tunc ab incepto destiterunt, malueruntque rem ceteroqui optatissimam, in aliud tempus differri, quam iis conditionibus confici. Post aliquot menses, denuo itum est ad Senatum ordinarium, neque id tamen postulatum, ut majoris consilii decretum mutaret statim, sed tantum ut designaret de suo corpore lectos viros, qui nostrorum querimonias exciperent, & ad ipsum referrent. Æqua postulari Senatus censens, præfecit huic negotio septem ex prudentioribus civitatis, qui, auditis per otium Patribus, facile intellexerunt, eos de duabus ultimis conditionibus juste queri, facile id etiam suis collegis persuaserunt. Quod tamen poscebatur, ut mitigarentur a Senatu conditiones, quas & Societati graves, & minus aquas esse constaret, id impetrari nullo modo poterat. Obstabant Tribuni plebis, ac tale decretum negantes posse fieri sola ipsius auctoritate, cogendum contendebant, ut in negotiis gravioribus, consilium extraordinarium, ad ejus judicium cognitionem causæ rejciendam: qua moti intercessione Senatores, id modo statuerunt, ut res ad consilium publicum referretur. Dolebant nostri, corruptum ita esse negotium quo maxime tempore videbatur prope confectum, ac de illius exitu penitus desperabant. Nam quis putaret, consilium extraordinarium, cœtum illum tot, tam variis constantem capitibus, a priore sua sententia discessurum, & in eam rem, de qua nec audire vellet, consensurum? Perspicere tamen licuit, quam facile ad Dei nutum flectantur hominum voluntates. Ad conditam diem tota consiliantium multitudo confederat. Proferuntur in medium postulata nostrorum, sententiæ perrogantur. Mirum dictu! Mutaverunt momento animi sic, ut præter primam illam ex propositis conditionibus, in quam nostri ab initio consenserant, nihil amplius exigendum censuerint, nisi ut Patres ossa Canisii custodirent sub gemina clave. Fit hac de re Senatus consultum, quod cum scriberetur, illud addendum curarunt Tribuni plebis, ut clavium una urbano magistratui traderetur.

His ita ex sententia confectis, constituitur transferendo corpori dies secunda ex paschalibus, quæ mensis Martii erat ultima: ad eandem diem indicitur solemnis supplicatio, apparatu quam posset splendidissimo, quantumvis funebri, peragenda. Ut illuxit quam dixi dies, cerneret urbem totam miro hominum concursu, ac motu æstuantem. Fama insolitæ celebritatis ex omnibus circum locis tam multos exciverat, ut nemo tantam Friburgi frequentiam se vidisse diceret. In S. Nicolai conventum est adeo confertim, ut multi-

itudinem se comprimentem ædes quantumvis ampla non caperet. Relictum fuerat ex templi parte superiori, prope Canisii tumulum, loci spatium pro Senatu, pro Burgundiæ præside Catholici Regis legato apud Helvetios, itemque pro nostris, & quibusdam paucis ex ordine sacerdotali. Altera post meridiem hora affuerunt Senatores, summotaque utcunque turba, in templum introducti fuerunt. Iis inspectantibus, refoditur venerabilis viri sarcophagus, in medium trahitur, recluditur. Reducto operculo, quod humore loci pene putruerat, apparent ossa carnis magnam partem exuta, integro tamen capillo, & barba. Nullus inspiciendi, ac venerandi erat modus. Ut satis intuentium cupiditati factum, excipitur velo linteo compages ossium, & in apto feretro, quod erat holoserico conuestitum pulchre, collocatur. Tum, gravioribus collegii Patribus succollantibus, feretrum extra ecclesiam effertur. Ad ducendam pompam adhibendos nostri censuerant collegii sui scholasticos, qui proinde bini, & in longos ordines distributi præiverunt. Singuli accensas manu faces ferebant: modestia, gravitate, silentio, spectantium animos defigebant. Agmen claudebat sacerdos Societatis, lineo amiculo, & pulla stola spectandus. Circa feretrum alii adolescentes in veste lugubri faces sublimes gestabant. Pone sequebantur collegii nostri Patres, quos Clerus urbis excipiebat. A tergo Magistratus cum Senatoribus, Burgundiæ præses, demum omnis ætatis atque ordinis multitudo promiscua. Quacunq; iter fuit, viâ hominum agminibus obsidebantur. Vix alicubi perrumpere turbam licuit, visendi studio irruentem, & precarios globulos feretro admoventem. Ut ventum in nostram ædem, spargitur de industria rumor, non nisi perendie Canisii corpus humanum iri: ejus itaque videndi copiam fore die postero. Subdubitantibus e populo multis an hæc vere dicerentur, ægre impetratum hora post solis occasum tertia, ut omnes abscederent. Par postridie frequentia, major tumultus. A summo mane usque ad vesperam exundavit templum viris feminisque, nobilibus, ac plebeis, cunctis videre exuvias venerabilis viri, atque osculari cupientibus. Die tertia replebatur similiter templum, nisi oclusæ fores fuissent. At nemo admittitur ea die, præter utriusque ordinis, ecclesiastici & civilis, principes. His coram e feretro educuntur ossa pretiosa, & breviori in loculo componuntur. Loculus vero ipse, inclusus in arca lignea, ante aram maximam tumulatur, addito brevi titulo, cum indicio diei & anni, quo hæc acta fuissent. Exinde populi concursus, qui antea fieri solebant in S. Nicolai, ad ædem Societatis translatus. Ac secundum hæc nostri rogarunt Antistitem Lausannensem, ut quaestionem de Canisii virtutibus institueret, tacita spe, ac forte non vana ducti, fore aliquando ut ab Apostolica sede beatorum honores decernerentur viro, cujus immortalia sunt in Ecclesiam merita.

Tridenti interea, quæ notissima urbs est Comitatus Tirolensis, novi collegii fundamenta jaciebantur. Ea nimirum civitas, quæ nascentem olim Societatem tam benigne exceperat in œcumenica synodo, quæ recordatione Lainii ac Salmeronis ad eam amandam excitabatur, ipsius domicilio carere diutius noluit. Ut collegium expeterent Tridentini, multis movebantur causis, sed illa præsertim, quod ad institutionem juventutis suæ deesse querebantur litterarum & morum magistros idoneos. Duæ tamen multum oberant res, inopia census, & Episcopi mens a nobis alienior. Ac prior quidem obex fuerat superatus ex parte: Civitas enim offerebat liberaliter ex ærario publico pensionem, qua sustentari possent ad quinquennium tres latinitatis magistri: at in altero difficultas non levis, nec facile superanda objiciebatur. Tridentinam obtinebat Ecclesiam Carolus Madruccius, magni nominis Cardinalis, eamque, Romæ degens ipse, administrandam commiserat fratri suo filio Carolo Madruccio, quem etiam sibi in episcopatu successorem designari curaverat. Episcopus, ut dictum est, rebus nostris parum favebat: administrator, ad ingenium patrum se fingens, omnia conabatur, ut Societatem Tridento excluderet. Cum non id ageretur initio, ut nostri stabile domicilium figerent Tridenti, sed tantum

ut

24.

Defertur in
ædem Societatis,
ibique conditur.

25.

Ortus collegii
Tridentini multis
implicatur
difficultatibus.

ut Societatis aliqui ludimagistri scholas ibi exercerent ad annos quinque; Civitas, quæ soleret magistros quos mallet arbitrato suo conducere, bona fide existimans ad hanc rem sibi quærendum non esse assensum Episcopi, rogavit P. Christophorum Grenzingum Præpositum provincialem, ut nulla mora mitteret tres latinitatis magistros, curæ sibi fore promittens, ne quid illis ad vivendum deficeret. Minime abnuebat Grenzingus amantissimis civibus morem gerere: prius tamen ire Tridentum jussit P. Joannem Weltzium collegii Cnipontani rectorem, ut coram inspiceret quo res essent loco, & si quid opus factum esset, deliberaret cum consulibus civitatis. Weltzio in urbem advecto honor a cunctis habitus: locus apud virum consularem, & lautia præbita. Solus ejus adventu conturbatus Episcopus administrator. Non ignarus cujus rei causa advenisset, denunciari illi jubet, ut cum socio quem adduxerat laico quamprimum Tridento excedat, non reversurus nisi accitu Episcopi Cardinalis. Parabat Weltzium jussa facere, sed abire volentem Consules prohibuerunt. Missas a se, aiebant, de toto negotio litteras ad Cardinalem, nec esse dubitandum quin responderet ad votum: & qualiacunque futura essent responsa, eorum saltem adventum expectari oportere. Hoc magis irritatus est infensus Præsul: tamen iracundiam sinu premebat. Venerant ab urbe responsa Madruccii Cardinalis ad eas litteras, quas a civitate missas dicebamus; nec satis explicite colligi poterat quæ circa scholas mens scribentis esset, nisi quod arbitrium ejus rei permittebatur Madruccio episcopatum administranti. Hic contra, ut publicam declinaret invidiam, negabat quidquam a se posse confici, aut debere, nisi ex præscripto illius. Sic ambo, rem alter ad alterum rejicientes ex composito, civitatis vota eludebant, ac rem ipsam trahebant. At tandem, auctoritatem suam interponentibus Ferdinando Imperatore, ejusque fratre Leopoldo Archiduce Tirolis Comite, composita sunt omnia, ac plus etiam quam speraretur confectum. Jam ante Archidux ad Grenzingum Provincialem scripserat, ne Weltzium Tridento moveretur injussu suo: se enim daturum operam, ne ob eam rem Cardinalis Episcopus offenderetur. Nunc vero aggressus negotium de scholis tractare, ad Cardinalem ita perscripsit ipse, ita perscribendum curavit a Casare, ut verecundia illi fuerit talibus ac tantis deprecatoribus rem aquisitam poscentibus oblistere. Consensit itaque ut homines Societatis ludum litterarium aperirent Tridenti, unam modo conditionem postulans, ut prius inde Weltzium demigraret. Quo impetrato, ut erat animi vir excellenti, non solum quod de scholis fuerat constitutum probavit, verum etiam Mutio significavit, pergratum fore sibi, si justa sociorum familia Tridentum induceretur, & qualecunque initium collegii fieret: cumque respondisset cum magna gratiarum actione Mutius, nihil futurum moræ quin socii aliquot mitterentur, Madruccio fratris filio mandavit efficacissimis litteris, ut quotquot advenissent homines Societatis Jesu, benigne susciperet, & quacunque posset commoditate juvaret. Ita demum, consentientibus ex omni parte animis, secundissima civium gratulatione, novum a nostris gymnasium apertum est Tridenti **v. i.** Cal. Decembres, eodemque die discipuli in tres classes distributi, sub totidem professoribus institui cœperunt. Magistris additi Patres duo, qui curam rei œconomicæ, ac disciplinæ gererent. Atque hæc habuit primordia domicilium Tridentinum, quod tunc nihil aliud quam paucorum capitum residentia Cnipontano collegio obnoxia, paucis post annis piorum largitionibus ad justum collegii statum pervenit.

26.
Quæ interven-
tu Casaris, &
Leopoldi Ar-
chiducis supe-
rantur.

27.
RES
AUSTRIACÆ.
Viennæ do-
mus Professo-
rum constitui-
tur.

Facilius multo Vienna novam hoc anno domum Professorum obtinimus. Dictum est alibi, jussu Ferdinandi Casaris additas fuisse Societati ædes Academicæ Viennensis, in easque nostros ex veteri suo domicilio migrasse. Per eam occasionem vacuum cum fuisset relictum collegii nostri ædificium, illud Casar acceperat sibi: non eo tamen acceperat animo ut retineret, sed ut conversum in domum Professorum iterum Societati addiceret. Quod tunc Princeps munificentissimus decreverat, perfectum est anno labente. Vacuas ædes denuo bene-

beneficio Cæsaris occuparunt nostri iv. Idus Martii, ac sub præposito Raphaele Cobenzelio focii quinque supra quadraginta coeperunt, ut in domo Professorum, mendicato vivere, & sacra duntaxat ministeria tractare. Nec diu quæsitâ Patribus rerum gerendarum occasio. Edixerat Imperator, ne qui Vienna relinquerentur hæretici, quadrimestri præfinito spatio, intra quod qui nollet catholicam religionem amplecti, alienatus esset jure civium, & solum verteret. Curam exequendi decreti cum recepisset Magistratus urbanus, sumpsit ex nova Professorum domo duodecim operarios, per quos heterodoxi prava sectarum dogmata dedocerentur. Ii vero nec segniter ad opus aggressi sunt, nec oblatam provinciam sine fructu peregerunt. Distributi per plurima urbis templa, insisterunt Lutheranis instituendis multos continenter dies, donec publicis ac privatis sermonibus ad Ecclesiam reducerent paulo pauciores mille, inter quos de nobilium ordine numerati quatuordecim. Per hæc, detecta Vienna, & in aliis finitimis Austriæ, & Bohemiæ urbibus pestilentia exitiali, novus patuit nostrorum charitati campus, quem non infeliciter decurrerunt. Egressi ad loca circumposita focii Viennenses, languentibus opem tulerunt: simulque præfenti calamitate ad concutiendas hæreticorum mentes usi, quatuor in oppidis antiquatum catholicæ religionis cultum omnino restituerunt. Perga, quod oppidum est non infrequens ad Danubii ripam, paucis diebus, paucioribusque concionibus rem consecerunt. Et notatum ibi est, cum plerique ex nobilitate & populo solemne sacramentum Romano Pontifici dixissent, iis tantum exitialem fuisse pestilentiam, qui animos ad contumaciam obfirmaverant. Apud Padenfes (civitas est ad quartum a Vienna lapidem sedens, thermarum salubritate, & nobilium huc valetudinis causa confluentium frequentia celebris) jamdiu hæresis lutherana, opportunitatem loci nacta, placide regnabat in Cæsarem & religionis dedecus. Ut inde exturbaretur, commissum Cæsareis ministris, simulque Societatis Patribus negotium fuerat. Ad nomen Societatis clamor, tumultus, conspiratio. Arma minitabatur nobilitas: Lutherani pastores sexcenta crepabant anathemata: res ad seditionem spectabat. Visum optimum factum, si publica institueretur concertatio, in qua veritas amice proposita pateret. Invitati ad eam tres præcipui doctores novitatis, & cæterorum ductores, semel, iterum, tertio negarunt se adfuturos. Jussi causas recusandi proferre scripto, responderunt, nihil esse opus concertatione: ageret populus quod cuique videretur: utramque fidem bonam, & salutarem esse. Hoc responso causam suam inepti doctores jugularunt. Nihil quippe negotii nostris fuit persuadere oppidanis, ut cum bona superum, Cæsaris, ac pastorum etiam suorum venia, catholici, & salvi esse vellent. Sic ibi, sic alibi gesta res, multo feliciter gerenda, si ministri Cæsaris pari ubique constantia executi fuissent ejus decreta. Labaci tamen, in urbe Carnorum principe, reductorum paucitatem compensavit unius claritas, & amplitudo. Theodoricus ab Averpergio, provinciæ, ut loquuntur, Marscallus, nec solum genere & dignitate, sed etiam ingenio inclytus, licet Calvinistarum erroribus innutritus a pueritia, offendebatur ratione parum decenti, ac plane tumultuaria, qua suam illi coenam ministrabant, ac sæpe libros de fidei controversiis lectitabat. Nuperrime, cum fluctuaret in utramque partem, & vehementioribus conscientia stimulis ad veritatem impelleretur, adhibere statuit in consilium Patres Societatis. Eos ut audit, nulla fluctuatio. In Romana Ecclesiæ verba juravit in templo nostro Labacensi, & Eucharistiam ritu catholico sumpsit, spectante frequentissima multitudine, ac præ lætitia collacrymante. Factum id Calendis Januarii, quem deinde diem vir eximie catholicus habere consuevit ex omnibus vitæ suæ auspiciatissimum, nullum finem faciens gratias agendi Patribus collegii Labacensis, cui etiam tria florenorum millia donavit grati animi causa.

Eodem tempore Tyrnavia in Hungaria ætas tenerior ad cultum veræ religionis feliciter adolecebat. Nostrorum disciplinam ipsimet laudabant hæretici, præsertim nobiles, nec ullo jam respectu prohibebantur, ne suos liberos ex

T. I.

Cccc

loc is

28.
Hæretici ad
Ecclesiam re-
vocati Vienna.

29.
Aliæ hæreti-
corum redu-
ctiones in locis
proximis.

30.
Labaci verita-
tem amplecti-
tur Theodori-
cus ab Averf-
perg.

31.
Opinio de no-
stris scholis in
Hungaria.

locis etiam remotioribus mitterent ad Tyrnaviense gymnasium, in quo persuasum habebant sic instrui litteris & bonis moribus pueros, ut non alibi melius possent. Hæc de scholis nostris opinio multo increbuerat magis apud gravissimos quosque Catholicorum. Gentis Antistites, cum ad deliberandum convenissent de re communi, ac de modis præsertim reparandæ religionis, primum omnium multiplicanda censuerunt toto regno collegia Societatis, idque in gratiam scholarum maxime. Videntes enim, quotquot apud nos educarentur adolescentes, cujuscunque sectæ parentes haberent, eos serius ocyus catholicos fieri, unaque cum politioribus litteris verum dogma condiscere; sequi conficiebant, ut si multæ essent hujus generis palæstræ in Hungaria, concideret paulatim hæresis, & catholica ubique res resfloreferet. Cæterum non sic nostri circa pueros occupabantur, ut adutorum curam negligerent. Quanta sedulitate, & quam alieno a rebus terrenis animo sua ministeria tractarent, ex una tantum re colligi volo, quam ad specimen cæterarum subijcio. Parochus fuit in territorio Judemburgensi, qui cum vitam egisset vitiis ac sceleribus inquinatissimam, nec morti proximus adduci poterat ullo modo, ut respiceret, purgaretque conscientiam maculas confessione piaculari. Multi illum adierant diversorum ordinum sacerdotes, multi admonuerant, ut desperata præsentis vitæ saltem æternæ consuleret: omnes redierant re infecta. Suadentibus, rogantibusque unam infelix reddebat vocem, actum esse de se, nullam salutis spem esse reliquam. Audivit ea de re unus ex Patribus collegii Judemburgensis. Nec mora. Ad locum advolat, experturus si quam afferre opem morienti posset. Hominem reperit jam prope cum morte colluctantem, & corona hæreticorum obsessum. Nam quia magnum habere dicebatur pecuniarum numerum, huic rapacissimi vultures inhiabant. Nihil motus istorum aspectu pius sacerdos, accedit ad ægrotum recta, ejusque in aures ingerit quæ ad excitandam poenitentiam criminalium, & veniæ spem videbantur aptiora. Æger ad eas voces, quasi e gravi somno excitaretur, oculos aperire, loquentem aspicere, emollita mentis indicia quædam præbere. Ne multa. De peccatis audiri postulat, qui paulo ante velut furiosus bene monentes præfracte contemnebat. Auditur per otium, expiatur, in spem vitæ melioris erigitur; nec multo post, cœlesti viatico, & sacro oleo rite munitus, placide expirat, attonitis tam subita rerum conversione quos dixi hæreticis, qui nunquam abscesserant. Verum his multo majorem admirationem iniecit nostri hominis temperantia, cujus exemplum per eandem occasionem eluxit. Prius quam Parochus supremum spiritum duceret, seductum tantisper Patrem admonuerant nequissimi helluones, ut percunctaretur ex eo, ubi nam pecunias, quas relinquebat post se maximas, condidisset? Ille indignanti similis, respondit, ut evangelico operario dignum erat, libere ac præcise, non pecunias, sed animam ægroti se quæsitum venisse: perrexitque de piis tantum rebus agere usque ad extremum, confusis responso improbis, & mentem omni terrena cupiditate majorem admirantibus.

Dum hæc gerebantur in provincia Austriaca, Bohemicam annus pestilens graviter exercebat. Præge, ubi vis morbi atrocius grassabatur, dimissæ fuerant scholæ, soluta convictorum, pauperum, & alumnorum Pontificiorum collegia: namque ea contubernia lues, prius etiam quam in apertum prodiret, clade plurimum adolescentum funestaverat. Ex nostris miserat extra urbem Rector juniores cum ipsorum magistris, tantum retentis domi qui sacra populo ministrarent. Ex his peste correpti fuerunt tredecim, undecim extincti; quorum vel tantum nomina, nedum virtutes referre longum sit. Reliqui, licet totos sex menses noctu & interdiu in media ægrorum tabe versati, incolumes evaserunt. Crumlovii, ut primum detecta sunt morbi pestilentis indicia, ægrorum ministerio se devoverat P. Joannes Janus, excellenti virtute operarius. Intra duodecimam diem in acie illa charitatis feliciter cecidit. Vitam egerat Janus dignam tali exitu, multis semper spectatus virtutibus, sed præsertim eximia in proximis charitate. Paulo post initum tirocinium remissus fuerat ad

32.
Parochi morientis conversio memorabilis.

33.
Nostri Sacerdotis responsum notabile.

34.
RES BOHEMÆ. Sociorum labores Præge grassante pestilentia.

35.
Obitus & elogium P. Joannis Jani.

paternam domum, causa ulceris, quo vix non insanabili laborabat. Valetudine præter spem, nec tam medicamentis, quam precibus recepta, rediit ad Societatem, in qua annos deinde ipsos viginti per diversa ordinis ministeria, non minus strenue quam utiliter laborans, traduxit, donec laborum ac vitam quem dixi finem invenit, post die Idus Octobris. Ejus funus curandum statuerant nostri silentio noctis, & sine pompa, ut tempus & causa mortis poscebatur. Sed civitas, supremorum celebritate privari non ferens parentem, ut agebat, suum, interfuit magno concursu. Senatus ipse, cum universo ordine sacerdotali, & symphoniacis, exceptum humeris feretrum inter lucentes circum faces, & concentus lugubres ad tumulum deduxit: quo honore efferri non poterat eo tempore, nisi vir omnium opinione sanctus.

At enim, ut nocentior multo est animarum pestis quam corporum, nulla autem exitior hæresis, quæ hominum non modo voluntates & mores, verum etiam mentes & judicia corrumpit; ita contra hanc in tota Bohemia Moraviaque nostri impensius decertarunt. Sponte currentibus addebat stimulos religiosissimus Imperator Ferdinandus, qui perduelles tandem ex toto subactos novis in dies edictis urgebat, ut vel Romanos ritus susciperent, vel in exilium irent: nuperrime vero diploma quoddam abrogaverat, quod olim extortum fuerat a decessoribus suis, de falsi cultus impunitate & licentia. In idem ergo conspirantibus locorum præfectis, expetebantur nostri homines passim, ut populis prava sentientibus falsam persuasionem eximerent. Non facile recensuerim pagos & oppida, ad quæ ex omnibus provinciæ domiciliis itum est. Multo minus rationem inire possim eorum omnium, quos intra hujus anni spatium nostri cum Ecclesia conjunxerunt. Sunt oppida non ita pauca, de quibus nihil aliud memoriæ traditum est, nisi omnino catholica facta esse. Præter hos, quorum est numerus in obscuro, ad Ecclesiæ signa revocatos invenio amplius undecies mille: quæ messis notabilem sane annum, & lætum Bohemiæ fecit, messorum autem industriam magnopere commendavit. Namque, ut anno præterito dicebam, non est putandum, aut nullo, aut perlevi negotio actam esse rem, ut quam terror legum, & Principis imperia promoverent. Multi, nisi charitate subigerentur, nec principalibus edictis, nec poenis propositis flectebantur. Multis tolerabilius erat exilium, quam Romanæ fidei professio, atque illud maluissent, nisi errorem dedocti mutassent persuasionem. Bresnicenses, ad primam Cæsarei edicti denunciationem refugerant in silvas, seu territuri, sive perterriti. Reducti domum cura Premislai Genitrici Proquæstoris Bohemiæ, cohortatione nostrorum ad ovile Christi conveniunt. Pari contumacia fidem apostolicam respuebant initio Thucovicenses, Blatnenses, & Horzowicenses. Fuit ubi incolæ pro defensione paterni erroris arma sumpserunt. Budditienses (quod oppidum Cæsar collegio Pragenfi donavit) præfectum suum crudeliter interfecerant hac una causa, quod eos ad deponendam hæresim vehementius urgeret. Manetineses, nostri sacerdotis adventu in seditionem coorti, deliberatum habebant ipsum, & totam cui parent Mitrovuschiorum familiam prius ferro perimere, quam sectam deserere. Marckersdorffenses, ut avitam superstitionem tuerentur, dynastam suum edicta Cæsaris exequentem obruncaverant. Similia narrari possent de aliis populis, quos ad contumaciam obfirmatos nostrorum flexit industria, & paulatim ad saniora consilia revocavit. Diutius certatum cum Czustolovicensibus, quod oppidum jacet prope Zambergenses montes, occultis olim Hussitarum, & Thaboritarum conventiculis infames. Rerum ibi potiebatur Otho Operstorffius, vir ille quidem eximie catholicus, sed uxorem habens in hæresi retinenda pertinacissimam, cujus exemplo oppidani errorem mordicus defensabant. Mulier diu ad omnia contumax, multorumque manus eluctata, cessit demum nostri sacerdotis facundia, & ad catholicos se recepit. Hac autem velut arce expugnata, deditionem fecerunt ex oppidanis viginti supra quadringentos, & criminibus expiati ad sacram mensam accepti fuerunt. Non nihil ad flectendos istorum

To. I.

Cccc 2

ani-

36.
Hæretici magno numero ad Ecclesiam revocati.

37.
Cujus laboris fuerit eorum contumaciam frangere.

38.
Charitatis
exemplum a
nostro opera-
rio editum.

animos contulit exemplum christianæ charitatis, quod ab eodem nostro operario editum conspexerunt. Costeleczi, quod oppidum est Czustolovicio proximum, detinebantur in carcere fontes aliquot, capitali poena damnati, & ad patibulum propediem producendi. Pridie quam producerentur, ad eos consolandos se contulit noster sacerdos, & impetrata facultate miseros alloquendi, singulos recreavit, expiavitque: mox eosdem ad mortem fortiter obeundam compositos usque ad supplicii locum deduxit, nec ante deferuit, quam ex infelici trabe dejectos vidit. Ea res Czustolovicensibus, qui nihil tale umquam vidissent in suis ministris, id genus officii superbe dedignantibus, adeo præter expectationem accidit, ut dissimulare non potuerint admirationem suam. Itaque redeunti obviam effusi primores loci, eum cum magno plausu & gratulatione exceperunt, amplissimis verbis profitentes, nunquam sibi venisse in mentem opinari, catholicum Sacerdotem, atque ejus auctoritatis hominem, eo usque se demissurum fuisse, ut vellet mortalium abjectissimis inter ministeria carnificum benignitatem impendere: atque exinde ipsius monita promptioribus animis susceperunt.

39.
Gitzinensium
mira a rebus
nostris aliena-
tio.

Uni fuerunt Gitzinenses, apud quos toto anno frustra sudatum est. Coiverant nimirum inter se foedus impium oppetenda pro secta mortis, futuri, ut aiebant, beati martyres, si pro tali causa necarentur: si quis vero male promissa non servaret, hunc diris omnibus execrabantur. Præter adolescentes, qui apud nos litteris operabantur, nemo nostros de fidei doctrina discentes audiebat. Civium plerique, non modo colloquium, sed occursum quoque nostrorum vitabant. Neque id satis. Etiam finitimis populis afflaverant nostri nominis odium inexpiabile. Albertus Walsteinus loci dominus, & Fridlandia Dux, domum Gitzini fundaverat alendis gratuito centum adolescentibus sub regimine Societatis. Nemo omnium inveniatur, nec in urbe, nec in oppidis circumpositis, qui vellet beneficio uti. Mille prætexebant causas patres familias, ne suos liberos mitterent ad noyum contubernium, ac nisi actum fuisset imperiosius a Principe, ne unus quidem misisset. Venerant aliquando tandem aliqui in collegium pueri; sed iis contra nos opinionibus imbuti, adeo a rebus nostris alieni, ut numquam plane subigendi viderentur. Societatis nec nomen ferre poterant. Suos magistros & præfides, tamquam certissimos deceptores intuebantur, torvis semper oculis, & malignis. Non amice salutantibus salutem, non interrogantibus responsum reddebant. Diu mansit pueris hic habitus animorum, donec comitate, beneficentia, cæterisque officiis, quibus illa ætas gaudet, paulatim deliniti, diligere ac venerari coeperunt quos prius oderant Patres, atque illis dociles ac morigeros se præbuerunt. Hoc purgandæ ab hæresi civitatis præludium quasi primum fuit. Puerorum exempla sensim grandiores quoque ætatem post se traxerunt, quodque mirum videri debeat, adolescentuli senibus, liberi parentibus, tum de Societate, tum de religione catholica novos sensus inspiraverunt. Erant illi in amplificando divino cultu nostrorum veluti adjutores, & sedulo suas partes agebant. Aequales veram fidem docebant: damnatæ doctrinæ libros quoscunque habere poterant, suis præceptoribus comburendos dabant: magnam Dei Matrem colebant ipsi incredibili studio, utque ab aliis etiam coleretur, summa ope curabant. Unus magistrum hæreseos, & in illa urbe principem litteratorum interpellare ausus est, unaque interrogatiuncula ad silentium adegit. Affirmaverat homo impudens, non minus impie, quam confidenter, nullo modo posse sub specie panis latere corpus Christi. Id unum quæsit ex eo puer, crederet ne quod in primo symboli articulo profitebatur, Deum esse omnipotentem? Cui ille nihil inveniens quod contra diceret, pudore suffusus obtulit. Robustiorum virtutem videre licuit in aliis, qui susceptam semel catholicam fidem adversus parentum blanditias, & minas, inter immania verbera, & atrociores injurias constanter retinuerunt. Ut de uno tantum ad specimen cæterorum dicam, filium adhuc teneræ ætatis spoliaverat vestibus pater inhumanus & ferox, muta-

40.
Vincitur paulatim comitate nostrorum.

41.
Virtutis exempla præclara a pueris edita.

tæ religionis causa; calcibusque dire contusum, ac seminudum, cum horrendis imprecationibus projecerat domo. Recepit ille se in collegium Societatis, *gaudens quod dignus esset habitus pro nomine Jesu contumeliam pati*: ubi a nostris quidem amantissime susceptus, decenter indutus, benigne habitus est ad multos dies, nec patri nisi sub certis conditionibus redditus. At quo die in ædes collegii venerat, triumphum pietatis vidisses. Ut auditum de adolescente profugo, in collegium evantes & gratulabundi advolarunt reliqui discipuli, factoque supplicantium agmine, sodalem suum virenti fronde redimitum in templum deduxerunt, ac certas pro gratiarum actione preces læto cantu peregerunt. Adeo interdum atatem superat virtus, & pueri grandioribus natu pudorem incutiunt. Sed de Bohemia satis.

Poloniam, ac Lithuaniam anno jam altero vastabat atrox pestilentia, unde nostris ampla de more patebat fege agendi, patiendique. Ut a rebus provinciæ Lithuanæ ducam narrationis initium, quocumque in tam vasta regione pervasit lues, si ibi erat domicilium Societatis, nec languentibus consolatores, nec sacrorum ministri morientibus defuerunt. Utque ita plerumque fit, ut luem penuria rei cibariæ, calamitas hæud multo levior, consequatur, huic quoque malo ubique pro viribus subventum est. Grodnæ per menses quatuor, quamdiu pestis grassari perrexit, egenorum fere trecentis alimenta quotidie præbita. Niesvisii semper patuit ad collegium Societatis, velut ad communem domum, inopi cuique perfugium. Polocii magnum frumenti numerum Patres habebant in suos usus repositum. Totum tam sævo tempore inter pauperes dividerent: id quod schismatici reputantes, facile intellexerunt quantum interesset inter nostros sacerdotes, & suos, ut ipsi loquuntur, Popas, qui lue ingruente omnes aufugerant. Inde etiam moti sunt aliqui, ut Catholicis se adjungerent. Verum hæc leviora. Non solum annonam, sed, quod multo præstantius, vitam ipsam filii Societatis proximorum saluti ultro devoverunt, & animam suam pro fratribus posuerunt. Collegium Lomzense Patres amisit quinque in obsequio tabidorum extinctos, videlicet Joannem Gogoleuschium, Paulum Piancium, Joannem Prezdiefekium, Joannem Miloncium, Stanislaum Kuezieviczium, & ex domesticis adjutoribus Nicolaum Gruda. Domui professorum Varsaviensi perierunt in eodem charitatis officio sacerdotes tres, Joannes Prufinoskius, Andreas Voluerenus, & Martinus Sczerbinus, cum duobus laicis, quorum nomina interciderunt. Vilnæ desiderati Patres Petrus Klukonskius, Gabriel Radzodkouskius, & Fr. Joannes Spirau. Pultoviæ P. Lucas Radzicoviensis, Plocia P. Albertus Piotrowskius, & Fr. Jacobus Pielaskenskius, alique fortasse alibi, quos recensere longum esset. Nec interim, si tantum excipias scholas, quas alicubi occludere oportuit, cætera ordinis ministeria sunt intermissa. Plura sociorum paria, laborantibus intra urbes reliquis, quaquaversum in sacras expeditiones exierunt, easque non sine fructu peregerunt. Qui Niesvisii tertium probationis annum decurrebant Patres, palatinatum Novogrodensem pagatim obeuntes, integros nacti erant populos, qui pastorum, vel paucitate, vel incuria, prima ipsa elementa christianæ institutionis ignorabant, nec piacularem confessionem in omni vita fecerant. Hos quantum licuit excultos expiatisque reliquerunt. Eodem tempore operarius collegii Crowsensis, per Samogitiam discurrens, laboris pretium non poenitendum retulit inter rusticos, quorum innumeram multitudinem reperit divinarum rerum omnino rudem, & omni sacerdotum ministerio destitutam. Similiter ex domo professorum Vilnensi itum est ad remotiora amplissimæ dioceseos loca, eaque peregrinatione, præter cæteras fruges ubique collectas, excisæ penitus nonnullæ superstitionis reliquiæ, quæ alicubi adhuc ut a majoribus acceptæ fuerant, impune colebantur. In ipsa urbe Vilnæ sodalium novi generis est institutum, quod sub auspiciis beatorum Nicodemi, & Josephi ab Arimathæa collocare placuit. Sodalibus hæc præter alias imposta cura, ut perquirerent sollicitè ægrotos sub dio passim jacentes, inventos ad publicum nosocomium

42.

RES

LITHUANIE.

Peste laborantibus nostri opitulantur.

43.

Socii in obsequio tabidorum extincti.

44.

Res gestæ ad animarum salutem.

45.

Novum institutum sodalium Vilnæ.

de-

deferrent, corporis animique subsidis juvarent, ac si qui forte occubuissent, eos humi conderent. Nemo fuit, qui non rationem pii operis magnopere colaudaret. Multi pecuniam conferre, plures sodalitati nomen dare festinaverunt. De uno quodam tradunt, quod cum mortuorum amplius trecentos rite composuisset, huic tandem operi feliciter immortalis est.

46.
RES POLONIÆ.
S. Ignatium invocantibus lues innoxia.

In Polonia videbatur pestilens lues nostris hominibus parcere. Quamquam enim socii plures Cracoviæ, Toruni, Gedani, Premisliæ, & Brestæ in agrorum ministerio versarentur, plerique tamen evadebant incolumes, ac pestilentia supererant. Res passim accepta referebatur B. P. Ignatio, cui quicumque vota nuncupasset, mali contagionem aut evadebat, aut superabat. Compertum id est præsertim in oppido quodam prope Bidgostium, quo noster Sacerdos sacre missionis causa venerat. Cum reperisset oppidanos pestilentia metu valde conterritos, suadere cunctis publice ac privatim coepit, ut opem exposcerent B. Ignatii, sponderentque se diem ejus anniversariam ritu feriarum, & pridiano jejunio celebraturos. Consilium acceperunt plerique, nonnulli contempserunt: nec multo post hi morbo consumpti sunt omnes ad unum, illorum nemo interit. Sed quamquam ita esset initio, fuit ad extremum annus Poloniæ etiam Societati pestilens, & funestus. Eorum, qui in ministerio agrotantium absumpti sunt, agmen duxit Posnaniæ Fr. Martinus Potorius, vir probitatis eximia, ac tanta morum innocentia, ut eo peccata confitente, vix inveniret conscientia arbiter quod levioris noxæ damnaret. Haud longo post intervallo, Posnaniæ pariter decesserunt P. Joannes Tremesnensis, & Fr. Jacobus Sobet. Hi, cum essent ad curam tabidorum destinati, in secreta collegii parte debebant seorsum ab aliorum commercio. Alia per idem tempus collegia suas victimas protulerunt. Toruni elatus P. Gaspar Petinkoviezius, Gedani P. Simon Valterus, qui alias in eodem periculo fuerat impune versatus: Graudenti P. Joannes Grozkoviezius: Rava Fr. Joannes Zertkovius: viri omnes excellenti virtute, & digni gloriosa quam adepti sunt corona. Præter hos, quorum non tam acerbum funus, quam gloriosa funeris causa fuit, collegium Posnaniense IX. Cal. Junii suum rectorem extulit, P. Nicolaum Crouskium, exempli semper recti virum, & cum cæteris virtutibus, tum præsertim usu meditandi assiduo, & inexplebili studio animarum insignem. Ferebatur ejus familiare dictum, operario Societatis tria hæc inesse oportere, genua cameli, dorsum asini, & os suis: nempe ut sit in orando assiduus, nihil recuset oneris aut laboris, ciboque quantumvis misero uti sciat. Ad hanc formam ipse factus, alios quoque rector fingebat: quæ causa fuit, ut videretur aliquando non nemini in exigenda legum domesticarum custodia, castigandisque vel levissimis noxis durior. De hac re monitus ab amico, facile purgavit se, narrans, apparuisse sibi unum quemdam de fratribus pridem mortuum, in quem frequentius animadvertere consuevisset, ab eoque gratias ingentes sibi actas fuisse pro ejusmodi severitate. Delatus olim in Moscoviam cum regio exercitu, captusque, ut in parum prospera expeditione, a schismaticis, durissimæ captivitatis incommoda toleravit menses ipsos triginta: quo tempore, non tam sui, quam Polonorum qui una in vinculis manserant curam gerens, dici vix potest quanto solatio illis, præsidioque fuerit. In lenta ac diuturna tabe, qua sensim defecit, composuit materna lingua sacros rithmos, qui post ejus obitum typis editi, passim cantabantur. Obiit x. Cal. Junii, sexta, ut optaverat, feria, hora post meridiem tertia, qua Dei filius expiravit, elatusque est summa civium celebritate & frequentia. Numerabat vitæ annos septuaginta tres.

47.
Socii ægrotis famulantes absumpti.

48.
Mors & elogium P. Nicolai Krouskii.

Tot imminuta funeribus provincia, adeo nihil remisit de usitatis laboribus, ut novos potius imposuerit sibi. Sane Patres, publica hominum consternatione ad eorum salutem utentes, emendationi morum diligentius insisterunt, & ad avertendas cœlestes iras multa ubique piacula excogitarunt. Luceorix, ubi præter terrorem imminentiæ pestilentia, timebatur Scythæ in-

Volhi-

Volhinia grassantes, ternæ quothebdomadis supplicationes indictæ sunt, peractæque cum voluntariis verberationibus, & poenitentiae publicæ apparatus. Lublini conflatum sub clientela magnæ Virginis sodalitium, quod ab ipsis initiis pietate ac numero civium spectari cœpit. E Cracoviensi professorum domo Sandecum usque, ac Corcinium operarii nostri excurrerunt. Digressi inde ad circumpositos pagos, rusticorum rudes greges excoluerunt sacra missione, ac multos etiam nobilium, qui more gentis habitabant in suis prædiis, ad pietatis studia excitarunt. Indidem egressus P. Adamus Ustinus cum Episcopo Laodicensi, qui Cracoviensem dioecesim lustrabat vice Antistitis, immensum regionis tractum peragravit. Latissime patet ea dioecesis, ut quæ Poloniam amplectitur pene totam, quam minorem vocant. Curias numerat ad mille, quarum quæ minimæ, capita millena censent, aliquæ usque ad decem millia. Totum biennium in hac peregrinatione Ustinus posuit, quo tempore pro salute animarum ea gessit, quæ Antistes ipse, datis ad Mutium litteris, profitebatur humanas prope vires excedere, nec fieri potuisse nisi divinitus. Verum in hoc genere excursionum eminuere qui Bari, Vinnicæ, Faustovii, & Ostrogii, in stationibus nuper conditis residebant. Vix in tota Podolia, Volhiniaque alii præter nostros inveniebantur sacrorum ministri, qui proinde regionem obeuntes, non modo communia Societatis, verum etiam propria parochorum exercere coacti sunt. Nec interim degentibus in collegiis Camenecensi, & Luceoricensi Patribus licuit otiosis esse. Posita fuerant in proximo contra Cosachos regia castra, in quibus permixti catholicis schismatici militabant. Ad ea procurerunt ex utroque collegio strenui operarii: milites catholicos ministerio sacrorum recreaverunt, schismaticis laborum assiduitate & patientia, aut usui, aut saltem admirationi fuerunt. Ex his duo capite damnati, dum ad supplicium rapiiebantur, repulere Presbyteros suæ sectæ, nec alios adesse sibi consolutores voluerunt, præter nostros, cum quibus nunquam antea de religione consenserant. Cæterum de schismaticis hæreticisque pauci, pro eorum numero, ad Ecclesiam reducebantur. Toto triennio ad eam transfugisse dicuntur haud amplius centum supra mille: cujus paucitatis in causa fuisse tradunt veteratorias ministrorum artes, sane multas, & varias, sed illam maxime, quod gregalibus per quidquid sanctum est interdixerant, ne sermonem cum nostris fererent de controversiis fidei. Eandem ipsi legem imposuerant sibi, quamvis arrogantissimi; eaque propter cavebant quam maxime, ne quando cum Patribus colloquerentur, nedum in contentionem venirent. Vetitum id sibi agebant a senioribus: silentium perfidiosum & contumax reponentes inter religionis arcana, ne inscitiam proderent.

Multo sapientius Judæus quidam, magni in Polonia nominis medicus, natus tamen, & educatus in Lusitania, qui familiaritatem cum nostris contractam vertit in occasionem salutis. Is latinæ litteras, & arcana naturæ didicerat in Conimbricensi Societatis gymnasio; nam christianum puer simulabat. Hinc studio medicinæ in Italiam primo, deinde in Asiam abreptus, peritissimos ejus facultatis audierat. Venerat demum Constantinopolim, ubi cum inter medicorum principes haberetur, licet judæici generis originem cultumque aperte præferens, sui desiderium iniecit legato Sigismundi regis. Cum eo delatus in Poloniam, erat ibi beneficio famæ ac fortunæ, quæ duo maxime in arte medica dominantur, consultissimus, & peritiam suam cum magno quæstu exercebat. Accidit, ut nostrorum nescio quis graviter ægrotaret Ostrogii. Loci domina, eademque collegii fundatrix, Palatina Vilnensis, accersiri illico medicum Judæum jubet, licet absentem procul: qui confestim advolans, ægroti curationem instituit, & quem reliqui deposuerant medici, paucis diebus feliciter perfanavit. Vertuntur mox vices. Æger, dum lente convalescit, mederi suo medico studet ea parte, qua misere extabescebat. Nec vero longa, aut difficilis curatio fuit. Judæus factus nostro homini familiaris, frequenter sermonem inferens de religione, sensim inductus est ut fateretur, quæcunque

sunt

50.
Fructuosæ excursionis ad diversa loca.

51.
Schismatici ad Ecclesiam revocati.

52.
Cujusdam Judæi conversio memorabilis.

53.
Infidelis paulo
ante mortem fit
christianus be-
neficio Deipa-
ræ.

54.
Aliud insigne
Virginis benefi-
cium erga pium
adolescens.

55.
Erigitur Semi-
narium Sando-
miriense.

56.
Fundatur col-
legium Oltro-
giense.

57.
RES RHEMANÆ.
Societas Neo-
stadium induci-
tur.

sunt oracula Profetarum de Messia, in Christo Domino impleta esse: qua se-
mel exsculpta confessione, facili mox negotio persuasum est illi, ut Christi
fidem & sacramentum acciperet. Est etiam memoratu digna conversio eju-
dam Scythæ, in quo videre licuit, quantum ad salutem animæ sempiternam
valeat patrocinium Deiparæ. Sive ille Mahomethem coleret, sive idola (nam
id in incerto est), periculoso morbo decumbebat Graudenti, quæ parva urbs
est Prussiæ regalis in palatinatu Culmensi. Instabat apud eum Sacerdos So-
cietatis, ut nisi perire æternum mallet, ne differret profiteri nomen inter
christianos. Cum nihil neque precibus, neque suasionibus impetraret a contu-
maci: *At saltem, inquit, hoc a te impetrem, ut mecum brevissimam precem
peragas, & verba præeuntem subsequare.* Simul percurrere lente cœpit Ange-
licam salutationem, quam Scythæ pariter pronunciabat, ignarus licet quid il-
lud rei esset, quidve sibi vellet. Ut ventum ad extrema illa verba *Et in hora
mortis nostræ*, mirum dictu! vir modo tam contumax, mutato repente ani-
mo, baptismum poscit. Eruditus, ut in angustia temporis licuit, in Christum
credidit, ac paulo post ablutus rite felix neophytus, animam cœlo inferen-
dam emisit. Virginis beneficentiam expertus eodem anno est pius adolescens,
qui erectam in collegio nostro sodalitatem frequentabat Gedani. Exemplum au-
genda erga Deiparam pietati idoneum, nefas silentio tegere. Adolescens ergo
peregre navigaturus, sumpserat de more litteras testimonii a Præfecto Mariana
sodalitatis, cui erat adscriptus, easque secum auferens, navim conscenderat.
Inter navigandum, conspicatus illum ex adverso vectorum unus, sive parum
fanus esset, sive adolescenti pridem infensus, nihil tale metuentem ferociter in-
vadit, sternitque, adacto in pectus pugione. Omnes exanimatum credere.
Surrexit tamen, nullo accepto vulnere, ac ne leviter quidem violatus: quod-
que jure admireris, incolunitatem debuit iis quas dixi litteris. Nam cum eas
sinu complicatas gereret, ferri acies progressa usque ad interulam, simul at-
que illas attigit, perinde retusa est, ac si in lorica æneam impegisset. Mi-
rum id omnibus, & patrocinio magnæ Virginis non immerito attributum, ut
quod in nullas naturales causas referri prudenter poterat.

Prius quam pedem efferamus ex Polonia, indicanda breviter primordia
seminarii Sandomiriensis, & collegii Oltrogienfis, quæ in hunc pariter annum
inciderunt. Sandomiriæ, & in circumpositis oppidis, cum frequens esset nobi-
litas, nec multi suos transmittere possent liberos ad remotiora collegia, de
condendo nobilium adolescentium seminario jampridem deliberabat vir nobi-
lissimus, & eximiæ erga nos benevolentia Andreas Bobola, avus Andrea il-
lius Bobolæ martyris, quo tantopere Societas gloriatur. Rem diu meditatam
perfecit anno labente; atque ita seminarium condidit, ut ejus administratio-
nem nostris unice hominibus commissam voluerit. Ostrogii, quod oppidum
est frequens in Volhinia, Anna Palatina Vilnensis, Joannis Caroli Kockze-
vicii vidua, parvam fociorum manum collocaverat, jamque alter hic annus
erat, cum illam de suo liberaliter alebat: quod tamen constituerat collegium
stabile ac perpetuum condere, id præstare sine maxima difficultate non pote-
rat. Difficultatis ea pars fere præcipua, quod bona pro censu familiae obla-
ta, cum detrahenda essent publico schismaticorum nosocomio, respuebantur
a Societate, minus æquum existimante eorum possidere fortunas, quorum sa-
lutem quæreret. Id probe intelligens Palatina, & nihilominus deliberatum ac
fixum habens præclara cœpta quocunque pacto perficere, certum seposuit fun-
dum patrimonii sui, eumque nascenti collegio in dotem perpetuam addidit.
Perrexit deinde femina præstantissima collegium a se conditum novis in diem
beneficiis ornare, donec ædium amplitudine, ac rei familiaris commoditate,
cum optimis provinciæ certaret.

Per idem tempus etiam provinciæ Rhenanæ nova addita sunt domicilia,
novæ segetes ad excolendum oblata. In ea parte Palatina ditionis, quæ in-
sinistram Rheni porrigitur, situm est Neostadium, civitas nobilis, sed quanti-
ten-

tempore de quo scribimus corruptissima, ut quam ex parte maxima occupabat hæresis Calviniana. Miseratus oppidi conditionem Guillelmus Verdugus, cisterhenani Palatinatus præfectus regius, & Hispanorum auxiliarium dux, Societatem inducere Neostadium statuit. Id vero confieri statim, ac nullo cujusquam sumptu cupiens, primum omnium dimitti pastorem sectæ iussit. Tum ædes collegii, ut appellabant, Casimiriani nostris hominibus tradidit. Postremo civitati vetuit, ne alium deinceps sacrorum ministrum reciperet, nisi quem Societas designasset. Ita spe citius negotium omne confectum. Nam cum in ædibus Casimirianis, quod olim fuerat coenobium sacrarum virginum, Casimirus Friderici IV. septemviri tutor & patruus constitueret scholam Calvinianæ doctrinæ, & virginum, quas expulerat, vectigalia transcripsisset in convictum multorum adolescentium, qui hæresi imbuerentur; his dimissis, domum statim, proventum, ac templum Societas habuit Neostadii, magno quidem mœrore civium, sed non diuturno. Populus, cui non aliunde nota Societas, quam ex mendacissimis relationibus pastorum suorum, nostros initio tanquam mortalium nequissimos insectabatur. Verum ubi perspicere propius potuit eorum mores & instituta, facile vidit, falsa sibi fuisse narrata, & anteceptam de rebus nostris opinionem adeo deposuit, ut Patrum probitatem modestiamque palam laudaret, ipsos in honore haberet. Pauci nihilominus vera docentibus manus dabant. Ne facerent, obstabat, non tam animi pertinacia, quam noxius quidam pudor, quo nemo nobilium præferre signum ad deferendam parentum superstitionem volebat, nemo se cæteris ducem & antesignanum præbere audebat. Hinc toto fere triennio Patres, excepto quod orthodoxis dogmatibus imbuebant impuberes, vix ullum operæ pretium Neostadii fecerunt. Felicius gesta res in eo tractu regionis, quam vulgo Stratam montanam appellant. Hujus olim tertia pars parebat Archiepiscopo Moguntino: cesserat deinde principibus Palatinis: nuperrime ob crimen perduellionis Friderico cum omni Palatinatu dempta, ad Moguntinum redierat. Oppida in ea sunt majoris nominis duo, Heppenheim, & Benthemium; pagi vero majores minoresve pluriini. Paraciæ numerantur omnino tredecim, quarum singulæ plures complectuntur pagos, eosque inter se non modico spatio distantes. Novale istud erroribus silvescentibus horridum ut expurgaret Joannes Svicardus Archiepiscopus Moguntinus, adhibendos censuit operarios Societatis, tradita illis administratione curiarum sex. Nostri provinciam ad tempus admiserunt, at assiduitate laboris perfecerunt, ne tempus nimis esset diuturnum. Nondum annus exierat, & jam ter mille numerabant ad sinum Romanæ Ecclesiæ traductos. Pari successu defudabatur hoc anno in Marchia Badensi. Populi nostrorum monitis & voluntati se subiciebant adeo non inviti, ut frustra essent contra illos edicta Principis de religione, nec ulli fuerint intentanda. Lacrymabantur præ gaudio senes, dum restituta videbant ad veterem catholicorum morem sacra, & quam a pueris se vidisse meminerant speciem religionis, iterum post tot annos revocata conspiciebant. Non nihil ad confirmandas hominum mentes valuit res plane admiranda, de qua loquuntur litteræ ejusdem anni. Gerbachi, quod oppidum est comitatus Erbesteiniani, proscriptus fuerat ante annos circiter duodeciginta cultus catholice religionis, missis a Principe satellitibus, qui facessere nulla mora cogerent Sacerdotes catholicos. Istorum unus ex familia Minorum, ut forte divinam Hostiam collocaverat in theca argentea venerationi publica proponendam, cum nec absumere illam præ festinatione posset, nec efferre, eandem reliquerat intra ciborium repositam. Ea nunc in eodem loco reperta est: mirantibus cunctis, rem talem, tot annorum decursu nunquam innotuisse Calvinianis, qui altaria expilassent omnia, & vasa sacra diligentissime conquiritississent. Noster sacerdos, qui casu aderat, rem pro merito admiratus, ejusque veritatem non uno argumento edoctus, supplicationem publicam indixit: sacram hostiam pompa quam potuit amplissima toto oppido circumtulit, eamque mox, quia situ vitari nonnihil cœperat, absumpsit. Per

T. I.

D d d d

hæc

58.
Neostadienses
mutant de So-
cietate opinio-
nem.

59.
Utilis nostro-
rum labor in
Strata Monta-
na.

60.
Res feliciter
gesta in Mar-
chia Badensi.

61.
Invenitur post
multos annos
Hostia confe-
crata.

62.
Hæreticorum
conversiones, ac
duorum præci-
pue.

hæc alii duo Societatis operarii, a Badensi tetrarcha, & a comite Wolchensteinio in communem regionem Frawenalbensem vocati, trecentos supra mille hæreticorum lucrati sunt. In aliis provinciæ partibus ab hæresi ad orthodoxam fidem redierant bis mille, & sexcenti. Duo tamen singulari memoria digni, Joannes Rheinardus a Metternich, & Christophorus Suguitius, quippe alter natalibus, alter doctrina clarissimus. Priorem, annorum octoginta senem, expugnaverunt focii Heidelbergenses: cumque ejus filius catholicus præfesset Heidelbergæ pro Bavariæ septemviro, & nostrorum cœpta pro viribus secundaret, ad emolliendam patris contumaciam plurimum contulit. Suguitii transitio Patrum eorundem auctoritatem industriamque eo commendavit magis, quod doctor erat magni inter suos nominis, & philosophiam docuerat in Heidelbergensi gymnasio, cui novissime rector impositus, insigni literatura, prudentia, & morum integritate spectabatur.

63.
Status Ecclesiæ
Osnabrugensis.

At nusquam alibi fructuosior Rhenanæ Societatis labor hoc anno, quam in diocesi Osnabrugensi fuit. Urbs est Osnabrugum claritate & opulentia civium inter paucas Westphaliæ celebris. Pietate, religione, ac litteris florebat jam inde a temporibus Caroli magni, qui sedem illam episcopalem condidit. Memoria proditum est, ab eodem Imperatore excitatam fuisse amplam Osnaburgi basilicam in honorem Principis Apostolorum, institutumque gymnasium græcarum latinarumque litterarum, quod ab ejus nomine Carolinum etiam nunc nominant. Et nihilominus post annos fere octingentos, statim atque magna Germaniæ pars, ac tota fere Westphalia ad novam Lutheri hæresim descendit, etiam Osnabrugenses misere abrepti sunt in errorem, seque a communione catholicorum penitus abjunxerunt. Non tamen eo tempore in perfidiam consenserunt omnes. Canonici summæ ædis impollutum retinuerunt suum uti prius templum, & Patres Dominicani suum, in quibus, & in ade curiali S. Joannis, sacra peragebantur antiquo ritu. Gliscente postmodum hæreticæ contagionis labe, collegium quoque Canoniorum infectum est. Itaque, vacante cathedra episcopali, suffragatores hæretici, vel numero, vel gratia catholicis potentiores, perfecerunt, ut repulis cæteris competitoribus, crearetur episcopus Philippus Sigismundus Brunswicensis aperte lutheranus. Post Philippi obitum, iterum potior fuit ea collegii pars, quæ melior; ejusque suffragatione assumptus fuit ad episcopatum vir, non modo catholicus, sed catholice rei studiosissimus, Itelius Fridericus ab Hoenzollernen, S. R. E. Cardinalis, qui nunc Ecclesiam Osnabrugensem administrabat. Huic porro antistiti nihil erat potius, quam ut statum religionis afflictum erigeret. At angebatur, quod minus valituram videbat imperii vim apud cives, qui relictis Episcopo nudis principatus insignibus, re ipsa potestatem ademerant omnem, & videbantur ejus quæcunque edicta contemnere. Id reputans, irrependum statuebat in animos multitudinis pedetentim, & leniter, ducendumque initium a pueris, qui si instruerentur probe doctrina fidei, & bonis moribus informarentur, adolesceret simul cum ipsis religio ac pietas, & sensim radices ageret in civitate. Excitandum igitur Osnaburgi collegium Societatis. Hoc modo nuper Monasterienses, & Paderbonenses ad verum Dei cultum rediisse. Quod ad pagos attinet, oppidaque, quibus frequens est ager Osnabrugensis, homines pleno jure sibi obnoxios facile consensuros veritati, si præter idoneam institutionem, adhiberetur auctoritas principalis, & pœnarum metus. His ita apud se constitutis, primum omnium a P. Joanne Coppero Provinciali sex poposcit magni animi, ac virtutis expertæ operarios, qui opus evangelicum facerent per diocesim, cumque impetrasset, iisdem tres diversas regiones (satrapias vulgo nominant) ad excolendum attribuit, Iburgensem, Windenburgensem, & Mellensem. In Iburgensi confedit ipse cum uno sociorum pari, quorum opera & consiliis utens, ante omnia convocatos in unum Parochos iussit Ignatianis commutationibus exerceri. Monuit deinde singulos, ut antea vitæ noxas eluerent confessione piaculari, concubinas ejicerent, novos instituerent mores sanctitate

64.
Præclara con-
silia Episcopi
Cardinalis.

65.
Acta nostro-
rum in illa dioc-
cesi.

ministerii sui dignos, suam denique quisque plebem deinceps veræ fidei præceptis imbueret. Pauci quidam inventi in hæresi pertinaces, quibus loco motis catholici, & prohi suffecti sunt. Post hæc, reliquam Iburgensem regionem obierunt cum Antifite purpurato duo Patres, mensibusque plus minus quatuor adulatorum amplius septem millia catholicis aggregarunt. Interim alia duo operarum paria processerant ad duas alias regiones, de quibus dictum est: sed quamvis haud minus gnaviter laborarent, laboris non idem pretium fecerunt. Certandum fuit adversus pertinaciam incolarum, qui occursum nostrorum, & aspectum ipsum vitabant de industria, eos vero de religione differentes procciter irridebant. Tamen dederunt veritati manus non adeo pauci: & plures daturi erant, nisi Patrum laborem & spem intervertisset, primum adversa valetudo, deinde mors intempestiva, qua tres eorum immodica laboris contentione fracti, in ipso operis cursu ceciderunt.

Læto rerum initio mirifice recreatus Cardinalis, minime tamen quiescebat, nisi Societatem in perpetuo domicilio collocatam videret Osnaburgi. Provinciam Rhenanam hoc anno regendam ceperat P. Henricus Bavingius, & commodum Mutius illum admonuerat, ut quæcunque ex eo Cardinalis optimus ad utilitatem suæ dioceseos poposcisset, morem ipsi gereret. Hujus rei certior factus Cardinalis, Bavingium ad se vocat: quod jam pridem versabat animo de collegio instituendo, cum eo communicat, consiliis suis ut obsecundet, rogat. Alendo sociorum justo numero, modicos offerebat census gymnasii Carolini, & alios quosdam. In usum domicilii destinaverat cum assensu Canonorum, ædes nescio quas, olim ab Augustinianis desertas, cum vicino templo satis magnifico. Et quia illæ ædes vetustate corruerant ex parte, dum reficiuntur, & novis scholarum ædificiis augentur, ne qua interim mora inchoando collegio fieret, parata erat Patribus alia quadam clericorum domus prope templum episcopale, quod iisdem permittebatur ad rem divinam, & ministerium sacerorum. His post Idus Martias cum Bavingio deliberatis, & omni difficultate explicata, addidit Cardinalis, posse se in dies singulos ob publicas Imperii causas alio evocari: festinandum proinde esse, ac prius quam ipse abesse coeretur, rem perficiendam. Nihil futurum moræ, respondit Bavingius, ne socios aliquot mitteret Osnabrugum: ac reipsa misit tres Aprili ineunte, qui in designatam sibi habitationem recta immigrantes, qualecunque collegium, & tres litterarios ludos aperuerunt. Primus collegio rector fuit impositus P. Henricus Yphausen, de quo Cardinalis ad Mutium scribens profitebatur, habere se illi gratias immortales, quod Ecclesiæ Osnaburgensi Apostolum Embslandiæ concessisset. Ea nimirum Henricus gesserat in Embslandia, quibus honorem ejus nominis videbatur promeritus. Neque vero promereri desit Osnaburgi. Nostris injunxerat Cardinalis, ut in ecclesia principe concionarentur singulis anni diebus festis, præter paucos insignioris celebritatis, quos aliis oratoribus vacuos servari cupiebat. Munus istud Yphausen, utcunque administrandi novi collegii difficultatibus implicitus, arripuit primus: atque ubi coepit audiri, mirum ut ejus conciones ipsi frequentarent, laudarentque hæretici. Spectabant in primis genus orationis ingenuum, moderatum, urbanum, quo ita veritatem catholici dogmatis tuebatur, ut nullo modo offenderet adversarios, & omnino a conviciis aculeisque, quibus nemo umquam melior factus, abstinere. Hac ejus modestia effectum brevi, ut Osnaburgenses, deleta veteri Societatis invidia, aliis nostros homines oculis intuerentur, & illis suos plerique liberos ultro in disciplinam traderent. Verum accidit perincommode, ut ineunte ætate ejusdem anni urbem invaderet sæva lues, cujus causa occludendæ fuerunt scholæ, & abrumpendus gratissimus civitati labor, qui in erudiendis pueris collocari coeperat. Illud post paulo accessit multo calamitosius, quod XIII. Cal. Octobris diem clausit extremum collegii conditor munificentissimus, & rerum nostrarum fautor eximius Cardinalis ab Hoenzollernen, quo sublato, cum deesset collegio nondum satis firmo maximum præcipuumque munimen,

To. I.

D d d d 2

ci

66.
Fundatur col-
legium Osnab-
grugense.

67.
De primo eju s
rectore P. Hen-
rico Yphauseri.

68.
Collegium
in rebus dubiis
conservatur mi-
ra providentia.

ei certus instare interitus videbatur. At, quæ fuit providentia Numinis, res aliter cessit. Successerunt in amantissimi Præfulis studium Præpositus, & Decanus ecclesiæ cathedralis, ac memores mandatorum, quæ habuerant ab eo moriente suprema, de tuendo, augendoque collegio Osnabrugensi, ea cum fide præstiterunt. Is deinde electus est in locum demortui Episcopus, quo neque meliorem, neque amantiorem nostri sperare possent. Atque id etiam effectum beneficio Numinis singulari, ac præter spem. Cum enim multi essent competitorum, & plerique suffragationibus magnorum principum regumque commendati, his repulsis Canonici nec petentem elegerunt Franciscum Guillelmum Comitem a Wartembergio, olim Societatis in collegio Germanico alumnum Romæ, tunc præpositum Ecclesiæ Ratisbonensis, qui vix inito episcopatu visus circa collegium Osnabrugense nihil omnium malle, quam vota sui decessoris implere, imo etiam vincere. Ac sane vicit. Non solum rata esse iussit quæcunque illi Cardinalis fundator benigne assignaverat, verum etiam ejus vestigalia multis partibus auxit, novumque illud domicilium ita firmavit, ut steterit turbulentissimis quoque temporibus, quæ postea consecuta sunt, & a nobis suo loco referentur.

69.
Duo Patres a Batavis capiuntur Gochii.

Ob ea, quæ narrata sunt hætenus, fuerat hic annus Rhenanæ Societati faustissimus, nisi tam latos rerum successus corrupisset æque calamitosus, ac subitus, quem modo paucis exequimur. Gochium, Gheldria oppidum, ex collegio Embricensi venerant PP. Theodorus Borgel, & Theodorus Riswichius, ut sacris ministeriis urbem excolerent. Dum ibi commorantur, repente Batavorum acies infesta admovit silentio noctis scalas ad urbis imparatæ mœnia, eamque interceptit. Erat hora ante lucem altera. Nostri, omnium quæ gerebantur ignari, horam illam ex more Societatis orando transigebant. Cum adest ex improviso globus militum, perfringit fores, domum diripit hostilem in modum, Patres vero ipsos inter ludibria hæreticorum in forum abripit, ubi Præfectus Batavicus considebat. Is vincit pretium libertatis imperat duo millia tallerorum. Excipiebant contra Patres, se urbem neutrarum partium incolentes, paræ conditionis esse debere ac cæteros ejus incolas: quocunque tamen numero haberentur, pecuniam imperatam nec esse apud se, nec habere unde sumerent. Responso efferatus homo vecors, utrumque imponit carro, ac turmæ equitum tradit asportandos Neomagum. Ibi in publicum carcerem conjiciuntur. Nihil non egit Riswichii frater secularis, patria Neomagensis, ut eos reciperet apud se. Fidejubebat ultro pro illis, Præfecti clementiam, missis aliis atque aliis Gochium litteris, implorabat. Præfectus necessebat moras, & negotium ampliabat de industria. Ecce autem affertur inexpectatus nuntius, interiisse illum morte repentina, ejusque cadaver repertum esse lingua foede tumefacta, & exerta: quod visum divinæ animadversionis manifestum indicium, ob sacerdotes indigne habitos, & sine causa vexatos. Tam tristi exemplo minime sunt absterriti Calvinistæ, ne Patrum vitæ insidiarentur. Utrumque accusabant Hagæ Comitum, cum aliis pluribus confectis criminibus, tum illo præfertim, quod Gochii in eos fuissent injuriosi, quos sciebant sentire cum Batavis de religione. Facilis erat calumniarum refutatio, si æqui darentur iudices. Aderant oculati testes modestiæ, quam ubique Patres, non minus voce, quam factis præ se tulissent. Præterea rector collegii Embricensis opportune submiserat virum gravem, cum tabulis publici testimonii Embricæ, & Gochii confectis, quibus utriusque civitatis magistratus testabantur, pacate se gessisse homines Societatis in illis urbibus, nec cuiquam molestos fuisse. Sed nemo his aures dabat, nemo patrocinium innocentium suscipiebat: quodque accidit perincommode, cum hæc agebantur, ægrotabat graviter Mauritius Princeps Auriacus, quem sæpe alias nostri benevolum experti fuerant, quique unus poterat Societatem ab injuria defendere. Senatus interea Hollandiæ, ad quem rejecta causæ cognitio, pronunciavit, jure captos videri Jesuitas Gochii, nec ante mittendos, quam imperatam pecuniam repræsentassent. Dammati in hunc

70.
Dire vexantur Neomagi, sed non impune.

71.
Senatus Batavici parum æquum de illis iudicium.

modum Patres, multo quam antea inclementius haberi cœperunt. Gubernator Neomagenſis, ſperans moleſtiſ terroribusque ad ſolvendum poſſe compelli, inopiam excuſantes detrufit in infimum carcerem, fordibus ac dira mœphiti luridum, mixtoſque vinctorum turbæ communi ambos catena conſtrinxit cum duobus maxime facinoroſis, ut ſe unus commovere non poſſet, quin ſecum traheret ſocios: quibus anguſtiis, itemque pœdore loci, atque illuvie ſuperatus Riſwichius, quippe laboribus evangelici miniſterii jam antea debilitatus, naturæ conceſſit in ipſo carcere, IV. Nonas Julias, poſt ſextum ferme, quam in eum venerat menſem. Vir multis nominibus clarus, eloquens præfertim in paucis, & lucrandis Deo mortalibus natus, numerabat vitæ annos ſexaginta. Quid deinde factum fuerit P. Theodoro Borgelio, nihil habeo, quod pro comperto affirmem. Suſpicio, haud multo poſt fuiſſe dimiſſum ſine pretio. Etenim ſub idem fere tempus Arauſienſium Principi Mauritio, qui occubuerat, ſucceſſit in præfectura armorum, ac cæteris Reipublicæ dignitatibus Henricus Fridericus ejuſdem germanus frater, qui, licet ſecta Calvinianus, minime iniquum ſe præbebat noſtræ Societati, & duorum quos dixi Patrum cauſam Hollandico Senatui impenſe commendaverat. De cujus æquitate Principis quoniam incidit mentio, non eſt hoc loco diſſimulandum, ejus præcipue patrocinio debuiſſe collegium Embriçenſe, ne periret. Nam cum intolerandis exactio nibus premeretur, partim a Batavis præſidiariis, partim a præfectis Septemviri Brandemburgenſis, idque agi vulgo putaretur, ut oppreſſi tot oneribus Patres loco cederent; Henricus, vix ſuſcepto rei militaris imperio, rerum noſtrarum patronum deſenſoremque ſe palam profitens, hos æque atque illos compeſcuit pro poteſtate ne nos ultra vexarent, & qualeſcunque collegii collabentis fortunæ ab interitu vindicavit.

Præter Riſwichium, de quo dictum ſupra, plures eodem anno ſocios provincia deſideravit, quos nefas indiçtos & illaudatos præterire. Laudandus in primis P. Joannes Georgius Voglerus, qui mortalitatem exiit Herbipoli VI. Cal. Julii: Concionator eximia fama, & tanta inſtructus dicendi facultate, ut in concionibus dominaretur, & audientium animos quocunque vellet impelleret. Simul ac peroraverat, vidiffes obſeſſa viris feminis que tribunalia, pœnitentiæ, omnium vultus ſletu madidos. Hæreticorum magiſtros, vulgo Prædicantes, præcipue exagitabat. Viciffim illi Voglerum cane pejus oderant, & quibuſcunque poterant modis, velut hoſtem publicum, infectabantur. Cum tanta floreret laude eloquentiæ, vir ſolida virtutis nihil habebat antiquius, quam puerorum & pauperum greges erudire: cæteris iſtud opus præferens, quia fructuoſum æque, at non adeo illuſtre, & ab hominum plauſu longe remotum. Edidit hujus argumenti volumen curatiſſimum, quo præcepta catecheſeos ſelectis exemplis, quaſtionibus, cantiunculis illuſtrantur. Idem, ut ſolebat capite damnatis conſolator adhiberi, nec paucos ad ſupplicium deduxerat, ejus rei raram peritiam aſſecutus, volumen aliud confecit, unde cæteri diſcant id genus homines in tam calamitoſo ſtatu ſolari apte, & ad mortem pie ſubeundam componere. Has, & ſimiles curas agitantes mors oppreſſit, eo prorſus in cubiculo, ubi ante annos viginti tres, inter ſacras B. P. Ignatii commentationes, primum religioſæ vitæ rudimentum acceperat. Nondum egreſſus erat annos ætatis unum & quadraginta. Pari ſociorum luçtu elatus eſt pridie Idus Auguſti P. Petrus Cremerius, dum maxime operarii apoſtolicæ numeros omnes ac partes implebat Cruçenacii, quod Palatina ditionis oppidum eſt nobile, & permunitum. Ibi collocatus nuper fuerat cum læta ſociorum manu, tanquam in temporaria ſtatione. Aliis alio excurrentibus, ipſe excolendos ſuſceperat quatuor vicinos pagos. Jam illos ex perditæ hæreticis fecerat omnino catholicos, cum ad ea loca vis morbi contagioſi pervafiſſet. Cremerius, dum agrorum domos diu noctuque ſollicitus circuit, peſtem hauſit. Delatus ad oppidulum, cui nomen Valhauſen, haud ſecus curabatur ab oppidanis, qui ejus cohortatione tranſierant ad catholicos, quam amantiſſimus, & communis omnium

pa-

72.
P. Theodorus
Riſwichius in
carcere mori-
tur.

73.
Henricus Prin-
ceps Auri-
acus tuetur col-
legium Embri-
çenſe.

74.
Mors & elo-
gium P. Joannis
Georgii Vogle-
ri.

75.
Mors & elo-
gium P. Petri
Cremerii.

76.

76. Aliorum pia funera. Unius valetudo divinitus recuperata.

77. Spira depellitur pestilentia piis supplicationibus.

78. RES FLANDRO-BELGICÆ. Nostri tabidorum curam suscipiunt Antuerpiæ.

79. Quatuor moriuntur. Elogium P. Francisci Schotti.

parens: tamen intra dies paucos morbo superatus occubuit. Vir multis naturæ & gratiæ donis ornatus eo præsertim nomine spectabatur, quod in concilian-
dis dissidentium animis mira polleret dexteritate, & in corruptis hominum
moribus castigandis expertissimus censeretur. Omnes nimirum comitate fleste-
bat, licet in mores suos censuram severissimam exerceret. Lues interim per
provinciam serpens, plures de Societate victimas abstulit. Aquisgrani P. Her-
mannus Hagedornus, Aschaffenburgi P. Joannes Evangelista Gartnerus, egre-
gii ambo operarii, dum languentibus ministerium impendunt, in acie chari-
tatis extincti ceciderunt. Monasterii in Westphalia afflatus pestilentia fuerat
P. Ludovicus Unverdorben: sed cum vovisset, si revalesceret, multo quam
antea impensius famulaturum ærotis, paucarum horarum intervallo voti fa-
ctus est reus. Perrexit itaque tabidis inservire incredibili alacritate ac studio,
ut eum decebat, qui hac una causa viveret. Spiram invaserat ejusdem mali
vis: at Deo bene juvante graviorem urbi metum, quam damnum attulit. Ut
vero intra breve tempus depelleretur, nostrorum pietati vulgo imputatum
est. Nam cum Patres collegii Spirensis, ad imminentem cladem propulsandam,
proposuissent incruentam victimam, coram illa plures continenter dies proni
supplicaverunt ipsi, utque in aliis etiam ecclesiis eadem supplicationes indice-
rentur, consternatæ civitati auctores fuerunt: quæ religiones dum non assidue
minus quam pie exercentur, defuncta est periculo civitas, & satiata paucorum
funeribus pestis resedit.

Sæviebat eodem tempore lues in utraque Belgica, omniaque luctu &
cladibus funestabat. Ut de Flandrobelgica dicere incipiam, Antuerpiæ de-
testata fuerant anno superiore mali latentis semina, quæ interventu hiemis
sopita verius, quam extincta, nunc repullulaverunt per æstivos calores. Ac
nostris quidem initio procuracionem ægrotum deposcentibus, respon-
sum fuerat a Senatu, non videri pro eo rerum statu necessariam sacerdotum
operam. At nunc, gliscente latius malo, multisque passim dolentibus, in-
periculo summo destitui ægrotos æternæ vitæ prædiis; admittâ ultro sunt
generosa postulata nostrorum, & gratiæ pro tam benevola voluntate actæ.
Senatus decretum simul ac innotuit Patribus, mirum ut omnes exarserint
ejus obeundæ provinciæ desiderio. Rector ex magno competitorum nume-
ro quatuor designavit delectos viros, qui in arenam charitatis descenderent,
idest Joannem Bauserme, & Franciscum Schottum sacerdotes, Joannem Eg-
gre, & Theodorum Heert, domesticos adjutores. Circa dimidium Augusti,
quo hæc acta sunt, numerabantur tota urbe domus insectorum fere quadrin-
gentæ. Eas e vestigio socii certatim lustrare aggressi, intra mensem cuncti
contracta pestilentia obierunt. Non est ut singulos laudem prolixius: nam
quæ præstantior laus, quam vitam adeo illustri morte clausisse! Fuerunt ta-
men etiam ante acta vita laudabiles, maxime P. Franciscus Schottus, patria
Antuerpiensis. Is, tamen proles unica viri consularis, maluerat inter nos
paupertatem sequi, quam vitæ commodis abundare inter suos: quin sæpius
ob valetudinem parum firmam repulsus, non ante destiterat Societatem pete-
re, quam voti compos efficeretur. Vixit post hæc annos duntaxat decem,
at miros tam brevi spatio progressus fecit in religiosa virtute. Ad extre-
mum cum impetrasset, ut dictum est, ægrotantium curam, exemplo monstra-
vit suo, quantas habeat supra naturam vires charitas christiana. Semper an-
tea usus fuerat valetudine parum commoda, ea præcipue laborans difficultate
spirandi, ut progredi, ac omnino se commovere non posset nisi admodum
lente. Idem nihilominus in obeundis domibus tabidorum, quasi alius esset
homo, non tam discurrere, quam volare urbe tota videbatur. Quod si alicu-
bi ferienti fores nemo responderet, immittebat se intro per fenestras admo-
tis scalis, & ad ægrotos quocunque suo periculo penetrabat. Quod intuen-
tes aliqui civium, ac secum reputantes, quo ille ortus esset loco, & quam
molliter educatus, a lacrymis non temperabant. Obiit in ipso robore ætatis,
tri-

trigesimo anno nondum expleto. Tam festinato priorum quatuor interitu minime repressa sunt studia cæterorum eandem laudem anhelantium, quin exarserunt vehementius. Igitur in eorum locum substituuntur alii sex, nempe Joannes Calantius, Paulus Ægidius, Livinus Wouters, Guillelmus Vanderbeke, sacerdotes: & ex ordine fratrum adiutorum Bernardus Vandenboel, ac Thomas Verlein. Diutissime omnium ministerio perfunctus est Vanderbekius; nec enim deceffit, nisi post sex integros laboris menses. Quinque reliqui intra paucos dies contagione prostrati, in illo charitatis officio ceciderunt. P. Livinus Wouters, patria Bruxellensis, non alia causa Lovanio nuper Antuerpiam venerat, quam ut negatam ibi facultatem inserviendi agrotis, hic impetraret. Rebus, & muneribus gestis tota erat provincia clarissimus. Philosophiam Duaci & Audomari, theologiam, quæstionesque de moribus Antuerpiæ explicaverat. Tornaci, Mechliniæ, & Lovanii domesticorum conscientias rexerat. Omnia cum insigni laude doctrinæ, probitatis, prudentiæque gesserat. Novissime missus in Hollandiam, & in carcerem ab hæretico magistratu coniectus, squalorem & ærumnas loci jam biennium perferebat incredibili patientia, hujusque exemplo virtutis magis quam voce, veritatem catholicam, multis persuadebat. At cum aliqui ex vinculis carcerem effregissent, elapsus inde cum cæteris, recepit se Lovanium, unde Antuerpiam delatus, quod summe concupiverat ut animam poneret pro fratribus suis, IV. Cal. Novembres est consecutus. Hæc Antuerpia. Non absimili studio Bredæ, ac Silvæ Ducis, pestilentia grassante, nostri se salutis publicæ devoverunt, sed utrobique impune. Bruxellas eadem calamitas tentare coeperat. Depulsa est, non tam humana solertia, quam piis supplicationibus ad octo dies productis, in quibus nonnullæ partes nostrorum fuerunt. Concionator de Societate, quotidie ad Senatum, & populum verba faciens, avertendam piaculis iram læsi Numinis, & pacem superum fletu exorandam denunciabat: quæ cum magna contentione diceret, incredibiles motus animorum ciebat. Diem postremo condixerat, qua omnes ordines civitatis communionem sacrorum refecti, longo ac moesto agmine supplicatum irent per urbem. Id statim atque peractum est, morbus resedit: nemine non agnoscente cœlestis beneficium, cujus ut perennis exstaret memoria, re in Senatu deliberata, placuit ut recurrente in posterum eadem die, eadem religionis officia quotannis recolerentur.

Nunquam melius patet utilitas sacrorum ordinum, quam in difficilioribus reipublicæ temporibus: nunquam magis erga nostrum studia populorum incensa. Provinciæ quidem Flandrobælicæ plura domicilia annus qui vertebat adeo calamitosus dedit: ut mirari subeat, tunc maxime auctam propagatamque esse Societatem, cum pro salute communi minuebatur numero sociorum. Ineunte Junio, Bredam, Brabantiæ urbem munitissimam, post diuturnam novem mensium obsidionem Spinula expugnaverat, & in potestatem Catholici Regis redegerat. Civitatem miseram, vix tandem ex belli laboribus respirantem, invasit eodem mense lues exitialis, quæ intra annum supra tredecim hominum millia consumpsit. Cives hoc maxime tempore collocandos apud se nostros homines statuerunt. Vocantur initio ex regiis castris aliqui Patres, curam ut impendant nosocomiis, & cæteris intra urbem ægrotis opem ferant: qui continuo advolantes, injunctam procurationem magno animo susceperunt, & pari assiduitate gesserunt. Cum parabant abscedere, suam civitati fidem industriamque ita probaverant, ut Bredani perpetuo retinendos quocunque suo dispendio censerent, & alendis præter ipsos ludimagistris censum annuum offerrent. Minime videbatur respuenda civium liberalitas. Condita proinde est Bredæ minor domus ex iis, quas residentias vulgo appellamus; brevis tamen ævi, ut suo loco demonstrabimus, futura. Eodem tempore, quæ Alostana erat residentia, jus nomenque collegii obtinuit. Alostum, urbem Belgii nobilem, immigraverat ante sex annos Societas invitatu Senatus, auctore tamen præcipuo Jacobo Beeckmano, Decano basilicæ Martinianæ. Ibi cum vixissent hætenus

Pa-

80.

Oecumbunt alii sex, ac præ aliis P. Livinus Wouters.

81.

Res alibi gestæ sæviente pestilentia.

82.

Bredæ Societatis residentia collocatur.

83.

Alostana residentia in collegium erigitur.

84.
Fundatur Aldenardæ collegium.

85.
Ex Belliolana residentia fit collegium.

86.
RES GALLO-BELGICÆ.
Socii duodecim in ministerio languentium extincti.

87.
Præclara contentio inter Augustinianos, & nostros.

Patres sumptu publico, tanquam in instabili sede; conciones, scholas, aliaque ordinis ministeria obeuntes, civitati maximo se probaverant opere. Hoc anno, tum ex piis multorum largitionibus, tum præsertim ex testamento viri ornatissimi Jacobi Wilsi, qui res nostras eximie fovebat, domum propriam, ac certa vestigalia obtinuerunt, cœperuntque, ut in reliquis collegiis, de suo vivere. Statio ejusdem generis, incerta scilicet, ac nullo certo proventu constabilita, ante annos decem collocata fuerat Aldenardæ. Ea nunc ad justam collegii formam assurrexit. Initium operi fecit ex ærario publico civitas, constituto in perpetuum tenui vestigali, unde ludimagistri, & pauci alii de Societate viverent. Rem provehebat paulatim privata civium liberalitas, qua cum primis eminuit Balthassar Bauters, mercator pius & locuples. Demum Isabella Clara Eugenia Belgii gubernatrix, attributis pleno jure redditibus Aldenardensis, quam vocant, leprosarum, collegium perfecit. Similiter, quod ab annis pluribus habebamus domicilium Bellioli, intra hunc annum in numero collegiorum habere cœpimus. Belliolum, quasi Belgiolum, sive Belgii compendium, Flandria oppidum est nobile, distans Ipris itinere horarum trium. Territorio utitur amplo, amœno, frugifero. Circumstant pagi frequentes, & opulenti, quibus commoditatibus accedit coeli mira salubritas. In ejusmodi oppido nulla, quod mirere, religiosorum familia sedem ante nos fixerat. Tantum evocabantur subinde nostri ex collegio Iprensi, ad excolendam missionem sacra civitatem, in qua licet multi essent hæresi infecti, catholici tamen numero & dignitate præstabant. Ex eodem collegio sumebantur quotannis concionatores pro sacrorum jejunii tempore. Longo itaque usu constabat Belliolenisibus, quam esset e re communi labor nostrorum. His olim permota civitas, consilium cepit retinendam perpetuo Societatis, domum & alimenta tribuens aliquot operariis, qui rectori Iprensi erant obnoxii. Nunc vero, quamquam ob belli incommoda magna essent ærarii difficultates, censum de publico obtulit stabilem & idoneum hac lege, ut residentia in collegium numeris omnibus absolutum vertetur. Versa est auctoritate Præpositi generalis, qui domicilium illud in collegii formam recipiens, simul pro Senatu Bellioloano debita fundatoribus sacra per totam Societatem indixit.

Dum sic novis ea provincia incrementis augebatur, Gallobelgica, pestelæ latius grassante, multis & præclaris capitibus minuta est. Novem simul ex præcipuis urbibus corripuerat lues, serpebatque incredibili terrore civium, quem major in dies copia funerum, & clades quotidie atrocior augebat. Ubique effudit sese generosa nostrorum charitas. Ab ipsis mali primordiis in unaquaque urbe designati fuerant plures, qui curam tabidorum gererent: tum alii, qui prioribus, ut quemque contagionis vis abstulisset, ordine succederent. Absumpti sunt exiguo tempore omnino duodecim, quorum nomina, ut credere pium est, in libro vitæ descripta, etsi non indigent commendatione nostra, non proinde æquum est ut oblivione deleantur. Duaci focii obierunt tres, Nicolaus de Ponte, Joannes Chifaire, & Joannes Balet, omnes ex ordine sacerdotali. Infulis duo, Guillelmus Bartier, & Michael de Latere, prior ille sacerdos, hic adjutor rei domesticæ. Dionanti tres Patres, Guillelmus Frerart, Hugo de Noyelles, & Joannes Andrieu, cum totidem fratribus, Joanne Azardo, Nicolao de Bry, & Henrico Molineo. Atrebat solus P. Joannes Aupsaix: viri omnes excellenti virtute, ut charitatis experimento omnium maximo satis demonstrarunt. Tornaci, simul ac prima se prodiderunt pestilentia ingruentis indicia, inter nos & Patres Augustinianos contentio orta est sane præclara, & qualem esse inter viros religiosos decuit. Primi omnium se obtulerant nostri magistratibus, ut ad ministranda agrotantibus sacra adhiberentur. Intercessere Augustiniani, antiquum obtendentes morem, quo se aiebant semper antea in tali ministerio ceteris religiosis anteferri consuevisse. In eam novi generis disceptatione magistratus, mirati utriusque ordinis pium ardorem, standum quidem consuetudini censuerunt: at simul promptam nostrorum

voluntatem probarunt usque adeo, ut in actis publicis exsistere voluerint ad posterorum memoriam, Patres Societatis omnium primos in illa publica calamitate operam suam omnino gratuitam civitati exhibuisse, & exemplo præisse reliquis aliorum ordinum religiosis, ut idem facerent. Simile certamen, & ex eadem causa exarserat domi inter socios collegii Valencenensis. Contendentibus inter se cunctis quis prior optato discrimini se objiceret, vicit senex annorum circiter octoginta, & in aciem prodiit incredibili alacritate. Idem ardore charitatis animum, animo corpus sustentans, per quatuor ipsos menses, quamdiu pestilentia urbem vexavit, perrexit cum fratre laico percurrere languentium domos, nullo diei noctisque discrimine, donec cum magna civitatis gratulatione ambo ad collegium incolumes redierunt.

Societati Anglicanæ luctuosum hunc annum fecit obitus P. Joannis Benneti, multarum palmarum operarii, qui prius per carceres & cruciatus viam sibi munivit ad Societatem, deinde per infinitos Apostolici ministerii labores, & assidua vitæ pericula, per totidem veluti gradus, in cœlum, ut sperare, pium est, transit VIII. Cal. Januariæ. Flintum, Angliæ oppidum in diocesi S. Asaphi, nostrum Bennetum edidit. Ab ipsa adolescentia clericalem sequi militiam cum statisset, sacerdotio initiatus, juvandis suis popularibus, ab errore videlicet revocandis, aut in veritate confirmandis, se totum addixit. In hoc opere annos jam decem collocaverat, præsertim in provincia Worcestriensi, cum in casses exploratorum incidit. Flintum deductus, interrogatur de religione. Aderat pseudoepiscopus S. Asaphi, aderat Georgius Bromleyus, quaesitor acer, & Catholicorum funus. Bennetus, onustus manicis & compedibus, pseudoepiscopum, qui ferocior surrexerat ad disputandum, theologice vinculis ita implicuit, ut expedire se nunquam potuerit. Cæteris pudore & inscitia obmutescens, intrepidus sacerdos de sedis Apostolicæ primatu, de summi Pontificis auctoritate, de Regine audacia & impietate, quæ supremum jus in res sacras sibi arrogaret, dixit tam graviter, tam ornate, ut Catholici omnes faterentur, constare Christi verbis fidem promittentis, daturum se suis *os & sapientiam, cui non possent resistere & contradicere omnes adversarii*. Hæc per multas horas incredibili fiducia locutus, protulit schedam suo munitam chirographo, in qua profitebatur, se sacerdotem esse, & a Christi Vicario missum, ad salutem animarum. Tunc assurgens pseudoepiscopus, ut olim princeps ille sacerdotum Hebræorum: *Quid egemus, inquit, testibus? ipsi audivistis*. Conclamatum est in eum ab universo cœtu: perduellis, reusque majestatis pronunciatus. Gravius illos tamen oratio Benneti percusserat, quam ut simplici patibulo damnatum vellent. In omnes formas ingeniosam crudelitatem vertunt. Placuit animæ prius necem inferre, quam corpori. Et quoniam accidit non raro, ut inviæ tormentorum diritate vincantur lænocinio voluptatum, castimoniam integerrimi viri sceleratis artibus aggrediuntur. Protervos adolescentes, in schola cupidinis eruditos, inducunt in ejus cubiculum, qui aures obscenis sermonibus, oculos turpi procacitate verberarent. Lacrymas excussit castissimo sacerdoti tam fœda impudentia, nec deplorare postea destitit luctuosam quam infert hæresis stragem, cum semel animos invasit, in quibus non solum veri lumen obscurat, sed ipsum etiam honesti sensum extinguit. Non successit hæc prima periclitatio. Ergo iterum in disputationis aleam producit: ubi cum pristinam eruditionem libera constantique voce explicaret, dicentem interpellavit Bromleyus, & effari plura vetuit: neque illi postea data est potestas publice disputandi, ne vincendi materia daretur. Aliis argumentis, quorum erant peritissimi, certarunt iniqui iudices, equuleis, ferro, contumeliis. Post multa nequidquam tentata, ad ferreum, qui solo paulum exstabat, anulum alligatur pedibus: hinc manibus constrictis attollitur ope trochleæ ad sublime tignum, ac funibus ductariis magis magisque contentis distenditur eo usque, dum corporis longitudo magna ex parte cresceret, solutis disjunctisque artuum commissuris, Tenuit immane tormentum horas novem, neque

T. I.

E e e e

omif-

88.
Nostri ejus-
dam tenis ardor
egregius.

89.
RES
ANGLICANÆ.
Mors & elo-
gium P. Joannis
Benneti.

Luc. 21.

Matth. 26.

omissum est nisi mortis metu, quam esse quidem volebant acerbissimam, sed non adeo celerem. Reportatur inter manus carnificum in sui ergastuli antrum, ubi summis in doloribus diu jacuit. Statim atque visus novo cruciatui par, iterum iisdem trochleis erigitur. Præerat carnificinæ designatus a iudicibus minister, qui fictam commiserationem vultu præferens: Jussus sum, inquit, a senatu tandiu torquere te, dum edas nomina catholicorum, quorum usus es hospitio, itemque eorum quos decepisti, & ad Romanam fidem traduxisti. Penes te est quamdiu torquearis. Una te vocula incolumem præstare, ac liberum potest. Cui Bennetus; Ego vero jussus sum a Christo Domino *non timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam*. Tres horas sublime pependerit, cum linqui animo, & emori coepit. Deponitur, furente Senatus administro, & pertinaciam increpante. Paucis diebus interjectis, eidem redditur cruci: membris omnibus convellitur, ossa suis sedibus emoveantur, laxatur compages membrorum, intestina pene diffluunt, rupta pectoris crate: Nulla vox tamen auditur alia, præter Dei laudes, & fidei catholica professionem. Iudices operam in eo ludi videntes, quid agerent hæserunt anxii. Necarent virum fortem? augebant invidiam. Retinerent in vinculis? diu superstes esse non poterat. Post brevem consultationem, ab Anglia facessere, procul jusserunt, ne catholicis ipso aspectu animos adderet. Minas porro intenterunt graves, si unquam reverteretur in patriam. Profectus igitur est in exilium Bennetus, annum tunc agens trigessimum sextum, & Rhemos appulsus nostris hominibus aggregari statim petiit. Voti compos factus, Viroduni tirocinium posuit, nec multo post reditum in patriam a Societatis moderatoribus flagitavit, tormenti superioris recordatione nihil deterritus. Rediit, ac totos deinceps quinque & triginta annos egit in Anglia, semper tutus, semper incolumis, Deo servum suum inter lictores, insidias, tela, & pericula quotidiana conservante, ad multorum incolumitatem & salutem. Palmis denique omnibus insignis, quæcunque possunt virum Apostolicum ornare, opprobriis, vinculis, cruciatibus, laboribus, virtutibus, & animarum præda locuplete, sancte obiit Londini, die Christi natali.

90.
RES TOLOSANÆ.
Missio ad Montem Albanum, ejusque exitus.

91.
Hæreticorum conversiones in variis provinciis locis.

In Gallia multum laborabant provinciæ Tolosanae Patres, ut ad Christi gregem traherent Calvini assecas, nec vero frustra. Obtinebant illi tunc montem Albanum, alterum post Rupellam partium suarum tutumque perfugium. Illuc, quod ego sciam, nemo nostrorum hætenus accedere ausus fuerat: forte quod temerarium videbatur eorum fidei se permittere, qui fidem colebant nullam, habebantque pro religione nomen ipsum Societatis execrari inexplicabili odio. Fuit tamen hoc anno in domo professorum Tolosana sacerdos ingentis animi, qui nihil territus periculi magnitudine, montem Albanum petere, & hæresim in sua sede incessere ausus est. Eo delatus, & exorsus comiter ac modeste agere, irrepsit brevi in multorum amicitiam, eorumque usus gratia ad ipsorum salutem, nonnullis veritatem catholici dogmatis persuasit. At cum plures ibi menses versatus esset, nec solum tuto, sed etiam cum honore ob virtutis opinionem versari pergeret; in cursu medio laboris, & in spe maxima fructus, Hugonotis iterum rebellantibus, coactus est loco cedere, & stationem dimittere. Is fuit expeditionis difficillimæ exitus, tunc sane latus parum, non tamen poenitendus omnino. Nam præter præsentem frugem ex aliquot collectam civibus, Rex, postquam debellavit cum perduellibus, gnarus quid ibi actum fuisset a nostro sacerdote, stationem eandem Societati reddidit. Quod ibi minus licuit ut ad Ecclesiam multi perducerentur, Deo nostrorum laboribus aspirante, successit aliis in locis. Biterris P. Alexander Regordus, disputatione inita cum ministro superstitionis de variis religionis capitibus, ita certavit, ut profligatus, & ignominia plenus absecesserit nebulo, qui erat nuper superbia tumens, & audacissimus. Certamini interfuit Dux Montmorancus Occitanie Prorex cum nobilium corona ingenti: ac ne posset anceps esse victo-

victoria, ejus lætitiã cumularunt viri sex supra triginta statim catholicã veritatem amplexi. Duplo plures fuerunt Albenaci, quos nostri partim privatis disputationibus, partim concionibus publicis subegerunt. Cadurci quemdam Calvinianã factionis sectatorem ad veram fidem perduxit beatus ipse parens Societatis Ignatius, nec sine miraculo, quod ego ita uti fuit litteris consignatum refero. Puerpera a medicis conclamata mortuum foetum expulerat, Ignatio vix invocato, quæque animam prope agebat, momento temporis periculo erepta fuerat. Vidit hæreticus chirurgia præstans, ac facile intelligens, curationem tam subitam, tam perfectam accidere non potuisse, nisi divina virtute, fluctuare animo cœpit, & crebris conscientiæ stimulis urgeri, ut se catholicis aggregaret: nec multo post, Deo vocanti cedens, Romanã Ecclesiæ sacramentum dixit. Idem præstitit Anicii puer annorum tredecim, sed ritu admodum novo, ac memorabili. Nondum propter ætatem admissus fuerat ad concipiendum ex formula sacramentum catholicæ professionis: neque enim exigi solebat ab imuberibus; verumtamen pio ardore succensus, nihil optabat avidius, quam suæ fidei publicum testimonium reddere. Quadam die, rectorem collegii videns in veste sacrificiali ad altare progredientem, pelli se intimo, ac vehementiore instinctu sensit ad profitendam aliquando tandem in publico religionem. Dies erat Christo in cœlum ascendenti sacer, ædes pro diei celebritate frequens ut cum maxime. Simul ergo sacerdos ad populum se convertit divinum impertiturus panem, adfuit in gradibus altaris alacer, ac pietate fervens puer, intendit vocem, & formulam catholicæ professionis totam peregit, attonita, ac collacrymante præ gaudio multitudine, quæ circum ad spectaculi novitatem erat affusa.

Inter hæc non uno documento licuit agnoscere, quam amanter a Deo protegerentur homines Societatis, quam studiose a suis Angelis custodirentur. Viros quatuor nobiles convivio exceperant nostri in Tolosana domo professorum. Post epulas, domestici simul & externi constiterant ad horæ spatium in propylæo coenaculi, familiariter colloquentes nostro more. Ut silentii signum increpuit, digrediuntur omnes pariter in vicinum templum, ad divinam hostiam adorandam. Vix abierant, & feriit aures fragor non minus subitus, quam horribilis. Spectatum accurrunt. Pavimentum propylæi, de quo dicebam, suo subsidens pondere, collapsum erat. Mirari subiit, nec immerito, contignationem adeo fragilem non ante cessisse oneri, cum tot hominum corporibus gravabatur. Hinc omnes regressi in templum, liberatori Deo gratias pro tam præsentis beneficio persolverunt. Eiusdem est generis, quod accidit eodem anno Aurilliaci. Dum substruuntur novi templi fundamenta, nescio quid operis fiebat circa domum, quæ tunc pars erat collegii. Rectori (erat is P. Petrus Grillæus) repente venit in mentem inspicere quid ageretur. Delapsus in partem ædificii infimam, singula curiosus contemplatur, videtque vitiatos multis locis parietes, & impendentem ruinam. Regreditur propere, exire domo Patres, operas absistere procul jubet. Quibus iussa celeriter executis, vicinis tamen adhuc, & inspectantibus, totum ædificium corruit. Ita protegente Numine servabantur ab interitu, qui in adiutorio Altissimi habitabant. Magno interea nostrorum lætu diem obiit extremum Tolosæ vir clarissimus, Joseph Desparbius Apamiarum Episcopus, futurus quamprimum de Societate, si ad periciendum quod animo volutabat, spatia vitæ suppeterent. Motus enim exemplo Caroli a Lotharingia, qui Virduvensi episcopatu abdicato ad Societatem transierat, deliberatum habebat idem consilii capere, nihilque non agebat apud Pontificem, ut ejus exequendi veniam exoraret. Verum hæc agitantem mors oppressit. Eo potissimum die tentari morbo cœpit, quo die constituerat se in domum professorum recipere ad recognoscendas per otium conscientie rationes, excolendumque spiritalibus exercitationibus animum. Morti proximus, ut quatenus poterat mentis optimæ cogitata perficeret, vocari ad se iussit Patrum nonnullos, hisque coram vota religionis emisit ex formula,

T. I.

Eccc 2

quam

92.
Miraculum
S. Ignatii, &
hæretici enjus-
dam conversio.

93.
Pius ardor ado-
lescentuli in-
profitenda reli-
gione.

94.
In gravi peri-
culo nostri mi-
ra providentia
servantur.

95.
Aliud exem-
plum ejusdem
generis.

96.
Apamiarum
Episcopus vi-
tam claudit in
Societate.

quam scholasticorum dicimus, pulcherrimum sibi ducens, quod si minus vivere, mori saltem contingeret in Societate. Tum præscribens quid sibi mortuo fieri vellet, id primo posuit loco, ut indueretur tunica Societatis, nec aliter quam unus aliquis sociorum efferretur in ædem professorum, quam minimo apparatu ac pompa. Hac tamen in re nequaquam illi morem esse gerendum censuerunt Canonici primariæ ædis. Magis pensi habentes, quid dignitati hominis deberetur, quam quid ejus modestia præscripsisset, cum funere quam apparatissimo extulerunt.

97.
RES
LUGDUNENSES.
Defertor Societatis poenas inconstantia luit.

98.
Mira Aque-
nium inclinatio
erga nos.

99.
Consilia de
condendo col-
legio Augustæ
Prætoriae irrita.

100.
RES
AQUITANIE.
Tironis cuius-
dam mira ad-
versus matrem
constantia.

Inter socios Lugdunenses unus labentis anni memoriam contristavit. Religiosa militiæ tædio captus, missionem flagitaverat, petumque a Præposito generali diploma in dies singulos opperiebatur Rhodumnae. Hominis consilium subodorati qui cum eo vivebant Patres, nihil intentatum reliquere, ut illum, a tam præcipiti lapsu retraherent. Fuit præ cæteris qui conventum in suo conclavi amice admonuit, ne falleret datam Deo fidem, vicinam mortem (verus nimium vates) denuncians, nisi ab ea mente, seu verius amentia, destitisset. At furdo cecinit. Consiliis, precibus, minis nihil est amplius impetratum a contumaci, quam ut interne angeretur, & inutili animi ægritudine contabesceret. Cæterum *noluit intelligere ut bene ageret*: statim vero atque accepit optatas missionis litteras, ad suos rediit. Nondum post hæc annus exierat, cum poenas perfidiæ & inconstantia suæ defertor dedit, morte consumptus miserrima, immatura, subita, quodque luctuosissimum, in magna vitæ licentia, & scelerum impunitate. Cujus terror exempli cum ad omnem late provinciam manasset, hoc magis excitati sunt nostri, præsertim juvenes, ut *cum timore & tremore salutem operarentur suam*, & alienæ etiam studerent. Studebant enimvero, & suæ, & alienæ quamplurimi, ac tanta ubique utilitate rei publicæ, ut hac maxime causa faverent nunc rebus nostris illi quoque, quibus semper antea invisum fuerat nomen Societatis. Ut nihil de aliis dicam, Aqueenses a longo tempore nobis iniquiores, atque illi nominatim, qui omnium maxime obstiterant ne collegium in urbe sua fundaretur, adeo mentem commutaverant, ut magnopere gauderent jam victos in ea causa se fuisse, immo profiterentur palam, male actum esse secum, quod non multo prius domicilium nostri ordinis habuissent. Quidam rectorem adierunt ultro, ac veniam rogarunt maledictorum, quibus Societatem temere incessissent cum adhuc erant præjudicatis opinionibus occupati. Adeo nulla nobis suppetit adversus calumnias malevolorum verior defensio, quam pie vivere, pro salute communi strenue laborare, cætera Deo permittere. Hæc fieri apud nos videns Episcopus Augustæ Prætoriae, Joannes Baptista Vercellinus, adjecit animum ad collocandum in urbe sua episcopali collegium nostri ordinis, eoque consilio tres ad se mitti curavit de Patribus Camberiensibus, qui novæ sedis fundamenta jacerent. Res quidem, certas ob causas, successu caruit: sed cum advenissent ut jussi fuerant Patres, eorum non omnino inutilis adventus fuit. Paucis diebus Augustæ commorati, præter alia bene & salubriter gesta, offensiones quasdam, quæ inter Antistitem & collegium Canonicorum exorta erant, feliciter sustulerunt.

Sæpe mentionem fecimus tironum fortium, qui adversus carnem & sanguinem magno animo decertarunt. Hujus generis exemplum scitu dignissimum vidit hoc anno provincia Aquitania, ad quam modo transgredimur. Versabatur in tirocinio Burdigalensi adolescens optimæ spei, & honestissimi generis. Eum mater ad se retrahere cum statuisset, hac mente Burdigalam e patrio oppido venit, nostrorumque fidem & æquitatem implorans, evicit, ut ad dies duntaxat tres velut sequestro deponeretur apud civem notæ probitatis, Societati restituendus, nisi intra illud tempus arreptum vitæ propositum abjecisset. Conditioni subscripsit adolescens, addita tamen cautione, ne alibi cogere-
tur cibum capere, aut dormire, quam apud hospitem illum ac custodem suum. Quibus constitutis, & assensu mutuo firmatis, prodiit e tirocinio tanquam
ex

ex officina virtutis fortissimus pugil, paratus perstare ad omnia, quæ tam brevi tempore moliri amor maternus posset. At finem certandi fecit citius, quam speraret. Primo die, cum divertisset, ut jubebatur, ad matrem, hæc oblita factorum instare apud eum, ut vellet secum in communi mensa prandere. Rogare ille contra positus humi genibus, ut datam servaret fidem: fugam, si qua vis pararetur, respectare. Mulier inter hæc animi deliquium patitur. Collapsam ut vidit adolescens, proripuit inde se celeri fuga, & ad hospitem suum reversus est. Hinc ad tirocinium revolabat. Ecce autem properanti objicitur denuo in media via parens, quæ, ut sunt mulieres, quam opportunè defecta fuerat animo, tam facile a defectione se collegerat. Luctu perdita, ac miserabiliter vociferans, nunc emollire fugientem, ac paulum remorari conabatur, nunc homines superosque testes faciebat doloris sui, & crudelis, ut aiebat, injustitiæ, qua sibi filium optatissimum, solitudinis suæ levamen unicum, Jesuitæ abripuissent. Quæ cum diceret, iterum voce, colore, viribus, atque animo destituta, jacuit pene exanimis. Magna, ut solet, ad spectaculum turba confluxerat. Multi feminæ miserabantur casum, multi crudelitatem nostrorum, & filii impietatem increpabant. Fuerunt qui matri spem facerent filii recipiendi, si repeteret eum legibus in iudicio: qua spe mulier erecta, judicalem inire viam statuit. Ergo libellum supplicem offert senatui, suus ut reddatur parenti filius rogans, quem a nostris male deceptum affirmabat. Senatus, tametsi accusationem ex materno tantum dolore profectam non nesciret, ad præstitutam diem adefse adolescentem jubet, & rationem consilii sui reddere. Affuit, ac pro se tam apposite dixit, quæstioni ita satisfecit, ut ipsimet iudices parenti persuaserint, ne ultra adversari pergeret ejus cœptis, quorum auctorem unicum fuisse Deum certo constaret. Dictis acquievit mulier, novitius senatorum præconio & gratulatione honestatus, in tirocinium rediit. Tales Societati succrescebant alumni in locum veteranorum, quorum aliqui identidem interibant.

Ex his duo maxime desiderati hoc anno, P. Ludovicus Richeomus, & P. Stephanus Moquotus, ambo virtutis opinione conspicui, & nostra commendatione dignissimi. Richeomus patria Dignensis, sive doctrinam spectes, sive prudentiam, sive, quæ cæteris eminent, pietatem & religionem, merito inter prima Societatis Gallicæ lumina annumeretur. Multa post se reliquit ingenii monumenta, non illo quidem nitore, quo postmodum florere gallicus sermo cœpit, pro eo tamen quod tunc maxime probabatur eloquentiæ genere, doctorum iudicio commendatissima. Eorum pleraque ad defensionem Societatis pertinent, quam cum amaret ipse in optimæ parentis loco, ejus famam, contra obtrectatorum calumnias tueri studuit. Præter hæc, scripto complexus exemplo Augustini omnes animi sui labes, & vitiosas appetitiones, reliquit posteritati quatuor libros, quos suarum confessionum inscripsit: rarum utique documentum christianæ demissionis, quam virtutem præ cæteris colebat. Senex emeritus annorum circiter octoginta, nunquam adduci potuit ut intermitteret, quod sibi proprium fecerat, ministerium abluendi vasa escariæ. Hoc munus ut expleret, cum non posset ad locum operi destinatum suis se ferre pedibus, eo deferri volebat alienis humeris; ac trementibus quidem digitis, sed mira mentis alacritate, & quam maxima poterat cura patinas abstergebat, prorsus ut unus de fratribus rei domesticæ curatoribus: vir cæteroqui per illustriores ordinis præfecturas traductus, ter Præpositus provincialis in Aquitania, semel Visitator provinciæ Lugdunensis, quique omnium primus Romæ pro Gallicanis provinciis munus Assistentis exercuerat. Conspectum aliquando ferunt toto coruscantem capite, & cœlesti luce circumfusum. Vivere desiit xvii. Cal. Octobris, in collegio Burdigalensi. Moquotus ortu Nivernensis, in gradu licet spiritualis, ut loquimur, Coadjutoris, egregie meritus est, tum de litteris humanioribus, quarum peritia claruit, tum de catholica religione, quam adversus hæreticorum calumnias multis lucubrationibus vindicavit. Nemo lau-

dare

101.
Judicum sententia comprobatur.

102.
Obitus & elogium P. Ludovici Richeomi.

103.
Mors & elogium P. Stephani Moquoti.

dare satis, vix quisquam assequi cogitatione possit labores prope infinitos, quos concionibus habendis, librisque conscribendis exsudavit, id assecutus vitæ genere laboriosissimo, & æque utili, ut ejus mortem, velut jacturam publicam, boni omnes dolerent. Obiit in domo professorum Burdigalensi, postridie Novas Novembres, annos natus quinquaginta quinque.

104.
Prorex Xanton-
niæ, aliquæ
ad catholicos
pertrahantur.

Ut minus dolenda accideret virorum talium jactura, fecerunt superstites ipsorum amulatores, quorum hoc anno industria Calviniani amplius centum ad partes catholicas transgressi sunt. Celebrata cum primis transitio Comitis de Parabere, Xantonniæ proregis, de qua hæc fuerunt memoriæ tradita. Comes, ut erat acris ingenii vir, jamdiu vacillabat in errore, quem a parentibus hauserat. Cupidus cognoscendæ penitus veritatis, petiit ab Episcopo Xantonniensi Michaelæ Raulio doctorem catholicum, quem cum ministro Hugonotarum committeret, & de fidei controversiis disputantem audiret. Misit Episcopus nostri ordinis sacerdotem, cujus nomen litteræ tacuerunt, doctum, pium, & in ejusmodi causis exercitatum. Conducitur certamini litterario dies & locus, invitantur ad congressum e nobilitate præcipui. Confederat jam frequens corona. Inter primos accesserat ad locum minister sectæ, spem vultu ingentem, & certam victoriæ fiduciam simulans. Sub ipsam disputationis horam minister, causatus nescio quid, locum turpiter deserit, & alio se recipit. Visum id plerisque timentis indicium vehemens, & quasi desperatio victoriæ. Relictus sine adversario noster sacerdos, explicat confessui statum controversiæ quæ ageretur, rationes utriusque partis expendit, perorat denique pro veritate. Movit nervosa oratio Proregem sic, ut illico cum tota familia, hæresim ejuraverit. Par alterius ministri Calviniani conditio fuit Pali in Bearnia, par triumphus catholiciæ veritatis. Librum sparserat improbus de Romana Ecclesia, calumniis meris & mendaciis refertum. Ex eo noster Theologus cum excerptisset locos ad bis centum & quinquaginta, quibus in locis sædè corrupta aut mutilata proferebantur orthodoxorum scriptorum testimonia, scriptori virulento dicam scripsit coram prorege Bearnienti Antonio Grammontio, postulans condici sibi diem, qua libri auctorem falsi reum perageret in concilio doctorum. Simili olim modo David Cardinalis Perronius in jus vocaverat Philippum Plessium Mornajum coram Henrico magno. Constituta est dies: leges, quibus coram prorege certaretur, dictæ. Minister sua conscientia damnatus, quamquam initio provocationem accepisset incredibili fastu, re deinde melius considerata, deserere maluit vadimonium, quam periculo se objicere. Toto expectatus anno, nunquam apparuit: quæ pugna detestatio publicis litteris contestata, ut in laudem nostri hominis cessit, ita catholicis pro insigni victoria fuit, & pudore obruit Calvinianos.

105.
Minister sectæ
a nostro Theo-
logo provocatus,
causam deserit.

106.
Adolescens ad
fidem salutari
terrore compellitur.

Huic sectæ fuerat innutritus Pali adolescens optimæ indolis, qui licet collegii nostri scholas frequentaret, nondum tamen inducebat animum ut superstitionem ejuraret, prohibitus metu parentum. Metum vanum, ac noxium aliquando terror salutaris vicit. Accidit ut rediret noctu domum, pallidus, elinguis, toto corpore contremiscens. Lecto illatus, jacuit dies ipsos tres præclusis faucibus, ut nec cibum capere ullum posset, nec vocem mittere. Medicis actum de eo clamantibus, parentes advocari ministrum sectæ jubebant, qui assisteret morienti. Verum ille, soluta repente voce: *Quem mihi narratis ministrum, ait, in hoc rerum articulo? Si me amat, Jesuitam adducite, ludimagistrum meum, cum quo multa sunt quæ velim communicata.* Vocatur ergo ex collegio nostro ludimagister, quem ut adstantem vidit adolescens, ablitere jussis cæteris, longum sermonem exorditur. Narrabat, erranti sibi noctu per infrequentes urbis vicos occurrisse spectrum horribile, ac visu formidolosum: ea se specie conterritum, vix non exanimem concidisse: hanc unam fuisse causam ægritudinis, qua hæcenus extabuisset: sed jam deliberatum sibi fixumque esse transire propediem ad Ecclesiam, quo se impelli cœlesti instinctu sentiret. His rebus cognitis magister, moerentem hortatus ut bono ere-

æoque

ætoque esset animo, suspendit ex ejus collo sacrum numisma. Mirum dictum! Ad contactum numismatis, omnes illæ, seu naturales morbi causæ, seu præstigiæ dæmonum, momento evanuerunt. Desiliit lecto adolefcens, seque omnino valentem obtulit domesticis, quorum quis satis explicet admirationem, & gaudium? Rediit postmodum ad collegium Societatis, & ejurata palam hæresi, in verba Romanæ Ecclesiæ juravit. Tertius interim vertebat annus, ex quo Societas domicilium habere cœperat Tutellæ, numerabatque jam civitas annos totidem novæ pietatis, quæ una cum nostris ingressa urbem videbatur. Quatuor classibus, in quas divisæ prius fuerant scholæ, placuit hoc anno quintam addere rhetoricorum, idque lætissimis factum auspiciis. Una die, undecim ejus classis adolefcentes ad diversas religioforum familias transiere. Ex eodem collegio missus cum fuisset sacerdos Bellolocum, quod oppidum adhuc erat parte multo maxima Calvinianum, præter alia sacræ missionis emolumenta, ad frugem reduxit monachum perditissimis moribus, qui annos quinque supra viginti in lustris ganeisque consumpserat, obtinuitque ab eo, ut nova vitæ integritate deleret inustam catholico nomini, & ordini sacerdotali maculam tam probrosam intemperantia. Ut vero hæreticorum arrogantiam comprimeret, vocavit in publicam concertationem ministrum sectæ audacissimum, qui catholicos omnes eorumque doctores superbe contemnebat, atque illum invictis rationum momentis ita confudit, ut pudore oppletus abscesserit. Factum indignissime tulerunt gregalium plerique: ac ne in uno victi viderentur omnes, libellos obtulerunt suæ, ut appellabant, Synodo, rogantes ut exilio damnaretur minister, propterea quod homo nihili ausus esset cum Jesuita doctissimo certamen ferere de religione. Quasi vero magis ingenii tarditate superatus, quam vitio caufisset. Sed a rebus Gallicis gradum faciamus ad Hispanicas.

Provinciam Castellanam turbabat vehementer hoc tempore filius degener Societatis, idemque magni ingenii, & magnæ item audaciæ vir, quæ duo si jungantur, maximas habent ad nocendum vires in religiosis ordinibus. Nos rem totam, uti gesta est, ordine referemus. P. Stephanus Peralta, quatuor jam professus vota, cum traderet theologiam Vallisoleti, amotus fuerat ab officio, propterea quod non ut copia doctrinæ, sic etiam exemplo morum prodesse putaretur auditoribus suis. Rem ille ferens indigne, & auctoribus factæ sibi, ut rebatur, injuriæ succensens, temperare sibi non potuit, quin conceptum animo mœrorem communicaret cum agnato suo Joanne Peralta Episcopo Senticensi, sive, ut nunc loquimur, Zamorensi, quo utebatur amicissimo, & intime familiari. Is amici dolorem miseratus, in omnem occasionem ejus sublevandi imminebat. Commodum accidit, ut ab Ecclesia Senticensi transferretur ad archiepiscopatum Cæsaraugustanum. Cum ergo profecturus illuc esset, adducere secum statuit Patrem Stephanum, virum scilicet theologica scientia præstantem, proindeque futurum sibi in rebus Ecclesiæ administrandis magno usui, amicum præterea, & consanguineum suum. Illa suberat difficultas, quod cum pertineret Cæsaraugusta ad provinciam Aragoniensem, ad eam nefas erat Stephano se transferre, inconsulto generali Præposito Societatis: Provincialis enim Castellanus aperte negabat, licere sibi quemquam sociorum extra fines provinciæ suæ mittere. Perstitit nihilominus in sententia Præsul, & Stephanum minime repugnantem abduxit Cæsaraugustam. Eo ut ventum est, perrexit Stephanus malam causam facere deteriorem, plures manens hebdomadas, contra quam apud nos lege præscribitur, apud Archiepiscopum, unde vix demum percelli potuit, ut in collegium Societatis se reciperet. His Romæ cognitis, doluit Mutius insitum disciplinæ vulnus haud leve, eique mederi statim cupiens, scripsit ad Provinciale Aragoniensem, ut Peraltam quamprimum dimitteret Cæsaraugusta, & in suam provinciam remitteret: simul Antiflitem non minus officiosis, quam efficacibus oravit litteris, ut id æqui bonique faceret. Prius quam hæc Præpositi generalis mandata in Hispaniam pervenirent, Stephanus, solutioris vitæ desiderio captus, ad Mutium scripserat,

VE-

107.

Et a gravi morbo divinitus perfanatur.

108.

Acta sociorum collegii Tutellenfis.

109.

RES

CASTELLANÆ.
P. Stephanus Peralta turbas movet in Societate.

110.

Irritam fuisse contendit professionem suam.

111.
 Multa per-
 peram molitur
 contra auctori-
 tatem suorum
 præfidum.

112.
 Agnovit jus
 Societatis, &
 transit ad Ci-
 stercienfes.

113.
 Quid declara-
 tum sit occasio-
 ne illius contro-
 versæ.

P. 5. c. 4. §. 6.

veniam rogans transeundi ad alterius instituti ordinem, ubi se continuo reci-
 piendum, si modo per eum liceret, affirmabat. Necdum ad hæc postulata re-
 sponsum acceperat, cum jactare palam coepit, nullo se religiosa professionis,
 nullo votorum simplicium vinculo obstringi, nec proinde posse cogi, ut So-
 cietatem deserens in alium ordinem immigraret. Hujus rei non aliam afferbat
 causam, nisi fuisse se sine Præpositi generalis permisso acceptum in Societatem
 anno ætatis decimoquinto nondum expleto. Quam rationem ad summam vo-
 torum suorum validissimam putans, eandem brevi commentario exposuit, com-
 mentarium vero ipsum Romam transmisit ad Mutium. Is interim, ad priores
 ejus litteras respondens, facultatem petenti fecerat transeundi ad alium ordi-
 nem. Diploma sibi oblatum Stephanus veluti non necessarium repulit, con-
 tempfitque, nulla se facultate indigere dicitans, qui nec fuisset unquam sacra-
 mento Societatis obligatus, nec vero esset. Quibus dictis ut facta congruerent,
 nec ullam servabat domestica disciplina legem, nec, ut Præpositus generalis
 mandaverat, in suam provinciam regrediebatur. Ne vero sibi fraudi esset
 contumacia tam effrons, temeritatem novo ausu cumulavit. Judicem totius con-
 troversæ sumpsit ipsum Archiepiscopum Casaraugustanum, ac prius quam de
 negotio ipso cognosceretur, ab eo rescriptum abstulit, ut pendente judicio
 censendus esset extra potestatem Societatis, eaque propter licitum sibi foret,
 si vellet, alibi quam apud nos diversari: cujus deinde rescripti beneficio ex
 ædibus collegii ad Hieronymianos demigravit, prætolaturus e tuto quid post
 causæ cognitionem Archiepiscopus pronunciaret. Talis iudex quin esset causam
 adjudicaturus Peralta, nec ipse, nec alius quisquam dubitabat. At contra
 judicium quod parabatur, excepit Casaraugustani collegii rector (nam voca-
 tus fuerat ex juris formula ad dicendum siquid vellet ex parte Societatis) ex-
 cepit inquam, ejus generis causam minime pertinere ad Archiepiscopum: quod
 cum certis rationibus demonstraret, hac exceptione perfecit, ut Præful ab in-
 cepto desisteret, ac judicium deponeret parum caute susceptum. Non ideo
 quievit Peralta, aut ad officium rediit. Certus nec litem deserere, nec se
 iterum arbitrio Societatis committere, extorsit a supremo juris præfecto, qui
 laicus erat magistratus, decretum quoddam, ne ad nostra domicilia reduci pos-
 set per vim. Tum pro sua causâ curatissimam concinnavit, ediditque lucu-
 brationem, qua lecta multi in Hispania, jura magis forensia quam Societatis
 instituta callentes, ibant in ipsius sententiam. Vir nimirum præstanti ingenio,
 nec mediocri doctrina, rationes pro se multas & varias ita exposuerat, ut
 primo intuitu veri speciem præferrent. Sed P. Joannes de Montemayore, vir
 æque canonici ac nostri juris peritissimus, scripto specioso magis quam so-
 lido scriptum opposuit adeo nervosum, ut cum lectitari coeptum est, senten-
 tiam mutaverint plerique, & ad partes Societatis transferint. Ipse momentis
 rationum victus Peralta, agnovit jus Societatis, aut certe visus agnoscere. Sa-
 ne, consilio in melius verso, supplices ad Mutium litteras dedit, unum mo-
 do rogans, sibi ut liceret cum bona ejus venia transire ad Cistercienses. Pe-
 titioni annuit haud gravate Mutius: ea tamen annuit lege, ut ne ante di-
 mitteretur, quam proprio chirographo professus esset, quæ emisisset apud nos
 vota, tum simplicia, tum solemnia, non fuisse irrita, nec proinde justam
 fuisse causam cur litem ordini intentaret. Quo facto filium turbulentum amisit
 Societas non invita, atque illa est omnis perturbatio sublata. Cæterum, ne
 alia similis suboriri unquam posset, Mutius, utpote nostri juris interpret legi-
 timus, declarans uberius quod olim fuerat a decessore suo Claudio sancitum,
 ita rescripsit: *Vitia, quæ forte contigerint in prima nuncupatione votorum
 ob defectus ætatis, biennii, aliosque similes, cessantibus ejusmodi defectibus,
 qualibet consueta renovatione votorum emendari.* Et quia Peralta male abute-
 batur eo Constitutionum loco, ubi nostri bis intra annum vota renovantes di-
 cuntur, * *Non nova obligatione se obstringere, sed ejus qua obstristi sunt recor-
 dari:* inde enim conficiebat, siquid in prima votorum nuncupatione defuerit,
 illud

illud per alias atque alias instaurationes nunquam suppleri; idcirco Societas post Mutii obitum in Congregatione generali VIII. decretum edidit in hanc sententiam. * *Quod in constitutionibus dicitur renovare vota non esse nova obligatione se obstringere, sed ejus qua obstritti sunt recordari, intelligendum est, ut hætenus intellectum est, quando renovatio supervenit priori obligationi, non vero quando nullam invenit obligationem.*

* Descr. 22.

Quam hætenus executi sumus molestiam excepit in provincia Aragoniensi alia diversi generis perturbatio, quam modo paucis expediendam suscipimus. Florebat Valentia gymnasium Societatis majori auditorum frequentia, quam ferre pacate possent aliqui ex doctoribus publicæ academæ. Suum quasi dedecus interpretantes, magistros Societatis studiosius audiri quam se, collegas sollicitabant, ne paterentur ultra probrum, sed partam tot annorum labore famam nobilissimæ academæ tuerentur præsentis aliquo, & opportuno remedio. Re in deliberationem adducta inter professores, afferebantur in medium multa. Fit denique communi consensu decretum, ne deinceps ad litterarios gradus admittantur ii, qui mallent collegii nostri scholas frequentare, quam academicas. At decreti major strepitus, quam usus fuit. Prolatis post paulo litteris Apostolicis privilegia Societatis continentibus, oppressa feliciter sunt adversariorum incepta. Accessit ad demerendos professorum animos beneficium, quod æqui rerum aestimatores minime contemnendum putarunt. Coorto inter scholasticos academæ, nescio quam ob causam, gravi dissidio, in duas factiones se diviserant feroces adolescententes, arma sumpserant, manus jam prope conferebant. Cum nullum esset præsentis malo remedium in præsidibus, advolavit e collegio nostro sacerdos, seque in medium agmen tumultuantium injiciens, qua erat apud juvenes auctoritate & gratia, tantum precando hortandoque valuit, ut pacem ex æquo & bono composuerint qui modo erant in mutuam cladem armati. De sacris expeditionibus, quæ plures eodem anno susceptæ fuerunt, præsertim in diocæsibus Dertusensi, & Gerundensi, multa haberem dicere, quæ ob frequentiam & similitudinem rerum prætereo. Unum filere non debeo charitatis exemplum insigne, quod occasione missionis editum est Balaguera. Est id oppidum prænobile in Catalonia, situm prope Sicorim amnem. Præter alia multa urbis commoda, ex eo quem dixi fluvio ingens aquæ vis derivatur intra mœnia, spargiturque viis prope omnibus per subterraneos ductus, usu quidem maximo civitatis, sed pari interdum periculo. Nam si quo casu dissolvatur compago fornicum, quibus intecti sunt lateritii canales, dehiscunt momento viæ, & voragines improvisas sub pedibus gradientium aperiunt. Id ipsum accidit, dum ibi duo Societatis operarii missione sacra fungebantur, atque eo prorsus tempore, cum catervas puerorum agebant ad catechesin. Subsidit repente pars viæ in hiatum ingentem, & unum puerorum absorbit. Ad clamorem, ut in subito & gravi casu sublato, accurrit celerrime nostrorum alter, ac puerum videns cum aquis colluctantem, & jam pene demersum, nihil ultra moratus, in subjectum gurgitem eiecit se. Hærebat circa os voraginis attonita multitudo, & utrumque perditum conclamabat: quæ tamen fuit Dei benignitas, neuter periit. Sacerdos impavidus, consilio manuque utens, puerum primo, deinde se in tutum recepit. Res visa tunc plerisque naturæ viribus major, visa nobis non indigna, quæ in hos annales transcriberetur. Et siquidem catechismi incidit mentio, Patres collegii Majoricensis nihil non agebant, ut rem adeo necessariam propagarent, & ad utilitatem civitatis universæ traducerent. Illud in mores inductum hoc anno, ut in quinque urbis locis explicarentur christianæ doctrinæ rudimenta. Provisum, ut non solum ætas tenerior, verum etiam natu grandiores erudirentur. Designata demum matronæ primarii generis, quæ puellarum centurias inter se partirentur, easque non minus exemplo quam voce ad discendum intentas facerent. Ex eodem collegio Majoricensi ad oliveta circumposita excursus est. Crebræ in his ali solent operarum familiæ. Supra ducentas duo ex no-

114.
RES ARAGONIENSES.

Decretum Academæ Valentia contra scholas Societatis.

115.
Componitur grave dissidium Valentia inter scholasticos.116.
Charitatis exemplum a nostro Sacerdote editum.117.
Acta sociorum collegii Majoricensis.

stris sacerdotibus excoluerunt, ac multo meliores quam initio invenerant reliquerunt. Correcti ex maxima parte mores, sublata dissidentium iræ, dies festi, qui passim solebant per meras saltationes, aliamque lasciviam traduci, coli pie ac rite cœpti. Nec illud parvi faciendum, quod ab eo tempore audiri desierunt amatoriae & obscenæ cantionculæ, irritamenta nequitiae, quibus antea totus ager personabat. Tanta denique facta in publicis moribus commutatio, ut pueri simplices percunctarentur a suis matribus, cur non ut ante homines latitiæ indulgerent.

Mors & elo-
gium Joannis
Marini schola-
stici.

B. Francisci
Borgia miracu-
la duo Gandiæ.

Inter hæc *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*, Joannes Marinus, mira innocentia juvenis, atque alter, ut vulgo ajebant, Aloysius Gonzaga: hoc etiam illi similis, quod eadem atque ille die, eodemque lathi genere occubuit, dum similiter altioribus studiis operabatur. Anno ætatis decimo quinto cooptatus in Societatem, jam tum inexpiabile indixit sibi, & cupiditatibus suis bellum, quod usque ad obitum produxit. Nullam antea contraxerat graviolem noxam: deinde nec ad leviusculas offendit, nisi admodum raro, ut sancte testati sunt qui de tota vita confidentem audierunt. Votum ediderat suis semper cupiditatibus adversandi, idque ab eo servatum exacte affirmabant iidem Patres. Sæpe moderatores suos veniam rogabat plectendi duriter corporis, ac sapius fortasse quam ferret virium infirmitas exorabat. Cilicis uti, cruentare se flagris, nudo in affere somnum carpere, famem sitimque solo pane & aqua, non tam satiare, quam fallere in deliciis habebat. Cum esset his quasi patientiæ rudimentis multum exercitatus, correptus est lenta tæbe, cui accedentibus viscerum & capitis doloribus atrocissimis, ulceribusque permolestis, habuit per sex menses quo ardens illud suum patiendi desiderium expleret. Obiit in paterna domo Malanquilla (oppidum est prope Bilbilim), quo fuerat medicorum judicio missus, ut adversus morbi contumaciam nativi cœli remedium experiretur. Moriens magnopere flagitavit, ut corpus suum mitteretur Bilbilim, & in æde Societatis conderetur. Verum id passi non sunt oppidani, nostrisque corpus innocentissimi juvenis reposcentibus, diserte negarunt ferre se posse ut alio traducerentur civis sui mortales exuvia, quas in loco thesauri longe pretiosissimi haberent. Utcunque illi tamen civem colerent suum sanctitatis opinione ducti, multo studiosius Gandienses suum colebant olim dominum, nunc patronum Franciscum Borgiam. Ex quo decretos beato viro cœlestium honores audierant, gestiebant insolito gaudio cives, & novum ejus cultum quibuscunque poterant modis celebrabant. Ignes festivi, machinæ, pugnæ ludicræ, aliaque id genus spectacula latitiæ publicam testabantur. Clientum suorum studia beatus Franciscus non uno miraculo comprobavit. Inter alia popularis gaudii argumenta, fons elegans adornabatur in muro summo publici ædificii. Accidit ut structor operis, dum suo aptat loco fontis latissimum labrum, fallente vestigio rueret in præceps, totamque secum traheret molem. Haud dubie affligebatur lethaliter, aut decedente secum machina opprimebatur, nisi Borgiam, cujus honori laborabat, in ipso lapsu invocasset. At ejus ope constitit in subjecto solo rectus, & illasus omnino, quasi occulta manu susceptus fuisset: moles autem, ignota vi impellente, deflexit in latus læso nemine. Miraculum istud excepit paulo post aliud non minus illustre. Puer erat Gandiæ manibus pedibusque ita vitiatis, ut nec movere illas ullo modo posset, nec his insistere. Pueri malo cum angeretur vehementer tota familia, pater ipse, nullum esse remedium videns in arte medica (multa enim expertus fuerat frustra), Borgiæ opem supplex quaesivit. Vix fecerat, & filium recepit incolumem tanto, non solum gaudio, sed etiam admiratione, ut vix eundem hunc esse puerum crederet, quem conspiceret fore miserè decumbentem, & membris captum. Ut erant ejusmodi miraculorum tot Gandiæ testes oculati, quot cives, hoc magis Gandiensium studia erga beatum suum Principem incensa fuerunt. Eodem tempore in aliis etiam Hispanorum urbibus certatim beato viro signa gratulationis exhibebantur, non

minus religiosa, quam splendida, Valentia præsertim, quæ illo cive gloria- batur, & Barchinone, quæ proregem olim suum fuisse meminerat.

Sed longe omnibus præstitit, quæ regis domicilium est, Matritum. Multos continenter dies tenuit religiosa celebritas, augente populi pietatem sacro beati viri corpore, quod argenteo inclusum loculo diversis supplicationibus per urbem circumvectum est. Principio ab æde professorum, ut tunc erat, angusta de vectum fuerat ad collegii basilicam. Ibi cum quatuor dies venera- tionis publicæ expositum profutisset, deferri placuit ad regium parthenonem S. Clara, id ita fieri poscentibus, tum parthenonis Antistita Joanna de Cru- ce beati viri pronepte, tum Margarita Austriaca Maximiliani Imperatoris fi- lia, quæ inter excalceatas illas virgines vitam religiosissimam traducebat. Hinc denique post biduum denuo illatum est ad templum professorum, sedem ipsius propriam, atque perpetuam. Jam nihil attinet dicere, qua pompa, quo appa- ratu istæ supplicationes peractæ fuerint. Interfuerunt aula regni que proceres, & flos universæ nobilitatis cum innumera populi multitudine. Pietas cum magnificencia certavit sic, ut nihil neque ad dignitatem, neque ad pompam splendoremque fuerit desideratum. At, quæ sunt rerum humanarum vicissi- tudines, lætitiâ hanc tantam corrupit paulo post acerbissimus luctus in fune- re festinato Caroli Archiducis, quem uno prope tempore Hispania accepit, ami- sitque. Eum Rex, quippe insigni prudentia principem, & avunculum suum, evocaverat ex Germania, ut haberet moderatorem adolescentiæ optimum, & idoneum ministrum, cui tantam imperii molem tuto committeret. Mense nondum exacto quam Matritum venerat, subita vi morbi sublatus est, nescias utrum graviore aula mœrore, an regni universi jactura. Ejus quidem certe obitum boni omnes vehementer doluerunt. Doluit præsertim Societas nostra, dolore non minus vero, quam justo, quem graviorem faciebat recordatio be- neficiorum, quæ nobis multa Carolus detulerat, & eorum expectatio quæ pro- miserat. Novissime, cum ad iter Hispanicum se accingeret, auditus fuerat sæpe cum diceret, hoc sibi fore jucundissimum in Hispania, quod esset habi- turus identidem occasionem, in qua suam erga nos voluntatem re & factis ostenderet. Sed aliter Deo visum, forte ut privati fructu tam insignis bene- volentiæ, spem omnem haberemus in divino patrocinio repositam. Præter ejusmodi vulnus Hispanicæ Societati communi, ereptos sibi doluit provincia Toletana Patres inclytæ famæ duos, Ferdinandum Lucerum, & Joannem Sua- rez, de quibus aliquid attingendum hoc loco est. Lucerum velut parentem, alterum provincia venerabatur, a quo fuerat sapius administrata, pari semper fama integritatis, atque prudentiæ. Nihil illo lenius, nihil, ubi quid fortiter agendum esset, efficacius. Lenitatem porro, non beneficio naturæ hauserat (erat enim vitio indolis in iram proclivior), sed exercitatione virtutis, qua id etiam erat adeptus, ut cæteris animi cupiditatibus imperaret sine mole- stia. Nemo illum in crebris maximisque doloribus mœrentem vidit, nemo elatum inaniter in rebus prosperis. Domi cum præstaret ætate multis, fama, honoribus, & rerum gestarum magnitudine fere omnibus, primas nihilominus ultro deserebat aliis, quorum esse ajebat neminem ineptiorem, vilioremque se. Multis procerum fuit a sacris confessionibus, quorum gratia ad ipsorum tan- tummodo salutem usus, moriens nihil post se nisi exemplum evangelicæ nu- ditatis reliquit. Obiit Matriti vi. Idus Januarias. P. Joannes Suarez, cui de- bentur sacra illa Eucharistici panis formulæ Complutenses, de quibus actum libro hujus historiæ quarto, divinis illustrationibus ab ipsa pueritia frui coepit, perrexitque quamdiu vixit usum perquam familiarem habere cum su- peris. Memoriam proditum est, balneis interdum uti coactum fuisse ad refri- gerium corporis, ex ardore quem orando conceperat æstuantis. Sibi inclemen- ter admodum imperabat ipse: quæcumque vero imperarent moderatores, ad eorum nutus omnes præsto erat. Olim sentiens, si quo casu opus nescio quod sibi fuisset injunctum, ab eo refugere animum vehementissime, procubuit sta-

To. I.

Ffff 2

tim

120.

RES TOLETANÆ
Novus B. Bor-
gæ cultus cele-
bratur Matriti.

121.

Mœror Socie-
tatis in morte
Caroli Archi-
ducis.

122.

Mors & elo-
gium P. Ferdi-
nandi Luceri

123.

Mors & elo-
gium P. Joannis
Suarez.

tim in genua supplex, ac Deo vovit, nulla se recusaturum quantumvis aspera, & dura majorum imperia. Reipsa iusserunt moderatores eam maxime rem, quam timuerat. Obscuro ipse est tam alacriter, quam si rem optatissimam faceret. At hujus victoriæ mercedem tulit non exiguam. Ab eo tempore supernis perceptionibus abundavit multo copiosius, vitamque reliquam traduxit inter cœlestes delicias, quarum jucunditatem experiri quidem poterat, sed verbis explicare omnino non poterat. Decessit Compluti XVI. Cal. Januarii, annos natus novem supra septuaginta, quorum ipsos quinquaginta saluti proximorum impenderat, elatusque est funere apparatissimo, quod academia, & civitas universa frequentavit, cunctis palam affirmantibus, viro sanctitatis eximiæ justa persolvi.

124.
Noritius voce
Deiparæ ad So-
cietatem retra-
hitur.

Viros tales Societas non tam amittebat, quam ad aternas beatorum sedes trans mittebat, habebatque proinde in ipso damno, quantumvis gravi, unde, mœrorem solaretur suum. Unum amiserat omnino, nisi fuisset divinitus ad bonam mentem reductus. Adolescens optimi moris dederat in tirocinio Matrignano nomen: at idem mox cum animo suo reputans beatæ solitudinis commoda, & rem Deo gratiorem se facturum existimans, si viveret apud se, dehortante frustra tironum magistro, Societatem deseruerat. Vix egressum is opprestit mœror, nullam ut partem hilaritatis caperet. Nocte proxime consecuta cum se quieti dedisset, somnum captabat incassum, seque in omnem partem irrequietus versabat. Agitatus conscientia stimulis, lecto exilit, projectusque ante effigiem B. Virginis supplex, opem quærit ex ea, quæ mœrentium adjutrix clementissima est. Roganti insonuit clara vox: *Revertere ad Societatem*. Hanc deinde vocem affirmabat, ex ipsa imagine fuisse emissam, nec animo tantum, sed etiam auribus a se acceptam. Ut ut fuerit, nihil ambigens quid factu esset opus, Matritum illico rediit ex itinere, quod patriam versus instituerat: adit recta Præpositum provinciale (erat is P. Ludovicus Palmius), ejusque ad genua accidens, & rem totam narrans, per Christi charitatem, per quidquid sanctum ubique est rogat, ut reducem denuo amplecti velit. Juvenem Provincialis certo dierum spatio distulit tentandi probandique causa, donec in proposito persistentem voti compositum fecit. Sic suum Societati alumnum servavit clementia Deiparæ. Quod pertinet ad labores sociorum, memoranda precipue inter acta hujus anni sacra expeditio, quam P. Bernardinus Villiegas suscepit in Extremaduram. Hispaniam ab occidente claudit, quam Baturiam antiqui dicebant, Extremadura, regio frugum ferax, & incolis frequentissima. Patet in longum millia centum & octoginta, lata centum circiter & viginti. Caput regionis Pax augusta, in finibus Lusitania. Urbem hanc semel quidem atque iterum adierant Patres Lusitani: at in reliquo tractu Societas, aut ignorabatur penitus, aut pessime audiebat. Nam quod olim fidei Quæsitores proseripsissent gliscentem ibi sectam illuminatorum, damnaverantque nominatim ejus hæresis præcones quosdam habitu nostris hominibus quam simillimos; vulgatum tota provincia fuerat, ac temere creditum, illuminatos esse de Societate, cujus propterea nomen ipsum indigenæ execrabantur. His ita se habentibus, Villiegas regionem inimicam cum evangelico ministerio peragrare, & hominibus tam male de Societate sentientibus ultro se offerre statuit. Res plerisque plena temeritatis videbatur: cum tamen probaretur a Præposito provinciali, ejus permissu vir apostolici spiritus itineri se commisit. Incessit sine saculo & pera, soli fidens Deo, cujus causam agebat. Ubi primo sumpsit hospitium, fuit qui sectam illuminatorum illi objiceret. Convicium terroris plenum ipse contempsit: & nihilominus porro pergens in interiora regionis, partim voce, partim exemplo vitæ integerrimæ gentem inimicissimam sibi devinxit, præjudicatam de nobis opinionem abolevit, quantum distarent ab illuminatis homines Societatis, docuit. Duos prope annos in ea peregrinatione posuit, quo tempore quam multa ad salutem animarum inceperit, gesseritque, longum esset exponere. Quæ vero facta sit erga nos inclinatio animorum,

125.
Expeditio in
Extremaduram
P. Bernardini
Villiegas.

126.
Mira illius
gentis inclina-
tio erga Socie-
tatem.

rum, colligere licebit ex ipsius litteris ad generalem Præpositum datis, quarum ego particulam exscribo. „ Sesiannum, inquit, Baturiam peragravi. Beneficia, quibus me Deus, & socium meum affecit, nec enarrari satis possunt, nec intelligi. Nihil a quoquam petii usquam, ne aquæ sextarium quidem: tamen omnium, quæ opus erant, affatim ubique fuit. Mutaverunt judicia voluntatesque incolarum in tantum, ut Societatem hætenus abominati, nunc in amoribus habeant, & lacrymis pugnent nobiscum, ne discedamus. Pergit dicere, ut secum egerint de condendo Pace collegio: quod quemadmodum deinde effectum sit, infra memorabitur.

Provinciam Baticam gravis invidiæ turbo concussit, quodque fatendum est, unius ex nostris temeritate: minore tamen, quam malevoli vellent, culpa. Rem ego totam, quæcunque ea demum fuerit, cum fide referam, summam colligens litterarum, quas de hoc argumento scriptas vidi. Quatuor Societatis Fratres rei domesticæ adjuutores prædium curabant oleis confitum in suburbano Hispalensi. Accidit ut eorum unus, cui nomen Joannes de Luna, intentis jam tenebris vocem audiret querulam, velut hominis opem & auxilium poscentis. Accurrens ad clamorem, videt in ipso prædii limite adolescentem humi afflictum, & huic instantem cum gladio equitem, mortemque minaciter intentantem. Tollit vocem Luna, abistere equitem, & parcere adolescenti jubet. Cum nihil proficeret, vim vi repellendam putans, arrepto qui erat ad manus gladio adolescentis, invadit hominem ferociter, & in fugam agit, equo vulnerato. Erat equus ille, quod postea rescitum est, præfectus stationis in proximo excubantis, ne quid olei Hispalim importaretur per fraudem impositi vectigalis: adolescenti autem manus injecerat, propterea quod inventum a se diceret, cum mensuras aliquot olei clam in urbem inferret. Luna itaque facinus, quacunque tandem mente susceptum, satis magnam habebat per se invidiam, ut quo violata videretur potestas publica in detrimentum regii ararii. Ad augendam invidiam accesserunt fabulæ calumniæque præfecti ejusdem, qui cum e vestigio ad urbis præsidem (Assistentem illi nominant) properasset, factum exponens, falsâ multa interfecit vero. Prohibitum nempe se armata manu, ne juvenem fraudis compertum in vincula duceret: accurrisse ad ejus defensionem Jesuitas telis instructos, irruisse pariter villicos ingenti numero armatos: equum cui insideret interfectum fuisse, ægre se incolumem evasisse. Ad didit, in eodem prædio miram occultari copiam olei, & aliarum mercium: exportari autem libere fiducia armorum, quibus se boni Patres contra ministros regios communiissent. Hæc ille, quæ deinde emissa in vulgus, aliter ab aliis ferebantur, non sine Societatis dedecore. Assistens interim, audita relatione præfecti, tametsi æquum erat nihil statuere inaudita parte, cujus res & fama in discrimen veniebat, mittit continuo ad nostrum prædium satellites cum mandatis, ut quoscunque præfectus excubitorum indicaverit comprehendant, & in vincula rapiant. Quibus jussa facientibus, ecce tibi circa meridiem conspicitur in ipso aditu villæ agmen infestum. Admoniti nostri recipiunt se effuso cursu intra domum. Eodem celeriter convolant famuli, & coloni: fores vestibusque occluduntur. Solus in aperto relictus fuerat cum aliquot villicis Fr. Joannes Ximenius, quem lictores cum tenuissent, vinculis & contumeliis oneratum cadebant tam immaniter, ut viderentur velle conficere. Vidit e summo tecto Frater Luna, & indignitatem non ferens, sumpta raptim pyrobolista, designatoque ad idem præ cæteris lictorum uno, qui sciebat atrocius, ejus brachium ignea glante transfixit, reliquos metu similis infortunii dissipavit. Abierunt ergo satellites, atque una Ximenium cum tribus colonis ad præsidem abduxerunt. Rem deinde, non uti gesta fuerat, sed ut inter se condixerant, referentes, judici, ut mitissime dicam, nobis parum amico amplam vendam Societatis materiam præbuerunt. Documento sit injuria facta Ximenio, quem præses in communem noxiorum carcerem abripi jussit, nec dimisit nisi postredie sub vesperam, cum ex edicto judicis Pontificii monitus est, nisi religio-

127.
RES BATICÆ.
Temerarium
facinus Fr. Joannes
de Luna.

128.
Ejus causa Societas gravem
incurrit invidiam.

129.
Auget invidiam
Fr. Luna novo
facinore.

130.
Eo extra So-
cietatem ejecto,
componuntur
omnia.

131.
Cujusdam Ma-
hometani con-
versio admiran-
da ante suppli-
cium.

132.
Quam splen-
dido apparatu
fuerit baptiza-
tus.

133.
Alter Maho-
metanus baptis-
mum suscipit.

134.
Initia collegii
Utrerenfis.

ligiosum virum extemplo solvisset, privatam iri communione sacrorum libel-
lis tota urbe propositis. Caterum tempestas illa omnis resedit citius felicif-
que, quam sperandum videretur. Nam cum provinciæ Præpositus statim
Societate dimisisset Fratrem de Luna, movit ea severitas aequissimum Regem,
ut eidem cognoscendum ex toto permitteret quod de occultatis in prædio
mercibus & armis fuerat indicatum, abrogaretque ejus causæ judicium in fensio
præfidi: qua re impetrata, facile deinde ea purgata sunt omnia, quorum in
crimen nostri vocabantur. Inspectum est coram testibus prædium, interrogati
accusatores, indicia singula ad examen adducta: ne vestigium quidem dete-
ctum mercium, quæ occultari per fraudem dicebantur. Ex armis pauca dun-
taxat inventa, eaque in agro ferme necessaria, & villicis passim ad arcendos
latrones permessa. Quæ cum ex actis constarent, aspersam Societati maculam
deterfit veritas in lucem educta, omnisque strepitus conquievit.

Ob ea quæ narrata sunt hætenus, multis malevolorum obrectationibus
proscindebatur Societas Hispali. Animos civium nonnihil delinivit lata conver-
sio cujusdam Mauri, secta Mahometani, in quo expugnando, post vim gratiæ
cœlestis, eluxit nostri sacerdotis industria. Eadem iniquam patraverat nuper,
cujus damnatus criminis, quammox capitali poena plectendus erat. Priusquam
ad patibulum raperetur, placuit experiri, num vellet Christum amplecti?
Submittitur itaque ad illum noster sacerdos, qui periculum faciat. Loquen-
tem ut audivit homo ferocissimæ cateroqui indolis, non solum primis ejus
suasionibus cessit, sed brevissimo intervallo a summa contumacia ad parem do-
cilitatem transgressus est. Prolato die supplicii, cœperat de tota re christia-
na per otium institui. Studio pietatis incaluit usque adeo, ut admirationem
& pudorem incuteret optimis quibusque christianis. Totus erat in meditando
Christi cruciatibus, cujus imaginem millies osculabatur quotidie, nunquam
sine imbre lacrymarum, & amoris sensu suavissimo. Ut ex parte imitaretur
quem colere instituerat Christum, sæpe se flagris immaniter cruentabat. In-
stantem poenam adeo non refugiebat, ut imo videretur sibi multo plecti mi-
tius quam esset commertus, vocaretque se beatissimum, cui cita mors adi-
tum reclusura esset ad æternam felicitatem. His urbe tota vulgatis, nemo fuit
qui non miraretur divinæ gratiæ virtutem, nemo qui non Maurum illum mor-
talium felicissimum diceret. Qua die ad baptismum primo, & inde ad sup-
plicium fuit producendus, innumera multitudo confluit visendi studio homi-
nis, qui certissimus cœli candidatus opinione omnium esset. Nec ipse alio
processit vultu, quam qui hominem deceret jam jam cœlitibus inferendum.
Latus æque inter sacerdotum & carnificum ministeria, spectaculum urbi de-
dit cœlo teste ac laudatore dignum. Erectum fuerat in foro urbis celeberrimo
pegma sublime, & magnifice ornatum. Huc splendide vestitus, alacer, &
floreæ corona redimitus venit, deducente ordine sacerdotali, ac nobilitate
universa, tubis lituisque lato concentu perstreperantibus: atque ubi constitit
prope sacrum fontem, baptismum ore submisso petiit. Ablutus est augu-
stiorè ritu ab Archidiacono Carmonensi, qui sacro amictus pallio ceremo-
niam peregit, & mox cœlum proximum felici neophyto gratulatus, carnifici
permiit, ut quæ sui erant muneris exequeretur. Cadaver summo cum honore
in adem urbis principem illatum est, & humi conditum. Hujus lætitiæ
eventus cumulavit die postero adolescens ejusdem gentis & sectæ, qui cum ve-
nisset in domum Societatis, se quoque ajebat velle Christianum fieri. Jussus
dicere, unde illi tam subita, tam salubris fuisset injecta mens? narrat, visum
sibi miro circumfusum lumine, & inter Angelos consistentem popularem illum
suum, qui pridie fuisset supplicio affectus: se gloriæ ejusdem desiderio tangi:
orare, immerentem ne repellant. Sane repulsus non est. Eruditur a nostris,
nec multo post baptismo consignatur. Hæc Hispali. Utrera interim, quæ
parva urbs est millibus passuum viginti circiter ab Hispali, novi collegii fun-
damenta jaciebantur. Hujus rei laudem tulerunt omnem PP. Joannes de Ar-
mien-

mienta, & Didacus Montiel, duo strenui Missionarii, qui cum urbem excoluissent sacra missione, ac mirum inter summos infimosque excitassent studium pietatis, par habendæ Societatis desiderium excitaverant. Obliterant initio aliqui civium, ac communi nomine supplicaverant Regi, ne nostros sineret Utrerae domicilium figere. At iidem edocti, quantas secum afferret commoditates nostri ordinis domicilium, alia nunc mente erant. Rogabant ipsi nostros, ne ultra differrent sedem ibi suam constituere. Quod collegii censibus deerat, id suppletum iri partim privata, partim publica liberalitate spondebant. Quæ cum omnes summo consensu profiterentur, motus est Provincialis Hemelmanus, ut certum sociorum numerum cum magistro latinitatis collocaret Utrera, & initium quoddam collegii faceret, quod deinde Præpositus generalis, etsi nondum satis maturum putaret, tamen ratum habuit.

Eodem anno in Sardinia sacerdos collegii Calaritani in circumpositam regionem egressus, cum ministeria salutis late circumferret, tam adversos alicubi nactus est Parochos, ut existimare potuerit, ingens subesse malum ubi oblatam medicinam ipsi respuerent animarum pastores. Quo magis obnitendum contra ratus, tandiu cœptis insistit, donec tandem Parochis constantia superatis, operæ pretium non pœnitendum, & spe propemodum majus fecit. Multorum iras inveteratas extinxit, offensiones publicas sustulit, confessiones innumeras a prima ætate repetitas excepit. Eiusdem industria occursum iniquitati feneratorum, quodque vulgo difficillimum, quam plurimis persuasum, ut factum supra sortem lucrum suis dominis restituerent. Id aliqui negotiatorum tam sancte inviolateque servarunt, ut nulla licet fraudis conscientia, solo metu ne quid in mercimoniis peccassent imprudenter, pecuniarum summas non modicas piis usibus destinaverint. Intra ipsam quoque urbem Calaritanam, regni primariam, fructuose gesta res est. Qui in custodiis publicis detinebantur, incuria magistratuum sevam tolerabant esuriem, nec habebant interdum quo vitam utcunque sustentarent. Malo ut remedium adhiberet rector collegii nostri P. Antiochus Carta, misit per urbem sacerdotes duos cum mantica, iussitque corrogare stipem ostiatim, qua in carceres delata, inopiæ miserorum ex parte subventum est. Erant in urbe eadem quinque germani fratres, animis ita disjuncti, ut nec communia salutationis officia alter alteri deferret. Offendebantur exemplo multi: nemo impetrare potuerat hætenus, ut sin minus fraterne, civiliter saltem viverent. Discordiam feliciter sustulit unus nostrorum; quodque optandum magis quam sperandum videbatur, dissidentes fratres ita pacavit, ita mutuum in gratiam reduxit, ut qui paulo ante insanabiles exercebant inimicitias, jam officiis inter se, & benevolentia certarent. Neque vero defuerunt Calari exempla patrocinii, quo sæpe alibi Virgo beatissima visa complecti sodalitates apud nos in ejus obsequium institutas. Sodalium nescio quis paulo ante quam cubitum se reciperet, victus prava libidine, flagitium admiserat. Jacenti affuit horrenda forma perspicuus dæmon, insiliitque in fauces instar truculenti carnificis. Clamare miser, invocare Deiparam sodalitiæ patronam: nec frustra. Ejus audito nomine, continuit a cliente Virginis manus infernus spiritus, ac celeri fuga in auras evanuit. Dum respirat a metu juvenis prope exanimatus, insonat emissa cœlo vox, iret quamprimum ad sacerdotem Societatis, & admissum crimen confessione purgaret. Paruit postridie mane pœnitens juvenis, simulque acceptum a Virgine beneficium aperuit gemebundus, & adhuc horrore trepidus.

Quo tempore hæc in Sardinia contigerunt, in Lusitania res accidit omnium iudicio major naturæ viribus, quæque ad illustrandam fidem catholicam plurimum valuit. Ulyssipone, dum effoditur nescio qua causa solum in templo professorum, tria inventa sunt humana corpora, singula suis inclusa sarcophagis, quorum erat alter alteri super impositus. Inspectis curiosius corporibus, tabe consumpta apparuerunt supremum infimumque, medium vero integrum omnino, & incorruptum: id quod omnibus visum miraculo quam-

simil-

135.
RES SARDINIÆ.
Patres collegii
Calaritani fru-
ctuosè laborant.

136.
Sodalis Maria-
nus in extremo
periculo divini-
tus liberatur.

137.
RES LUSITANIÆ
Francisci Fre-
giani corpus in-
corruptum in-
venitur Ulyssi-
pone.

138.
Cujusdam An-
gli negotiatoris
conversio me-
morabilis.

simillimum. Acta post hæc rei diligenti inquisitione, tum ex domesticis monumentis, tum ex juratis multorum testimoniis constat, sepultum ibi fuisse ante annos sexdecim Franciscum Fregianum, virum prænobili natum genere in Anglia, virtutibus tamen multo illustriorem, qui anno labentis sæculi octavo exul a patria, fortunisque omnibus catholica religionis odio spoliatus, vitam ærumnosissimam pie clauserat Ulyssipone. Huc porro se receperat vir fortissimus post annos tenebricosi carceris duodetriginta, ut beneficio uteretur Regis Jacobi, qui famam clementiæ quærens, generosum fidei pugilem jufferat exilio mutare carcerem, & solum vertere. Jam vero, vulgata per urbem fama reperti corporis, ad illud intuendum undique concursus est. Quosdam etiam ferunt, Fregiani invocato nomine, beneficia divinitus impetrasse. Sed nemo omnium illi plus debuit Anglo quodam negotiatore, qui tali, ut loquebantur, miraculo ad hæresim ejurandam est motus. Mercator is erat non minus animi, quam fortunæ opibus locuples, ingenio promptus, litteris supra communem modum excultus, & lingua plurimum valens, quas ob dotes in illo emporio princeps habebatur suæ gentis, & sectæ. Calviniani dogmatis disciplinam ita in congressibus defendebat, ut videretur omnino vinci non posse. Sæpe cum nostris hominibus disputaverat, irretitus sæpe fuerat, nunquam manus dederat victas. Is ergo mercator, viso Fregiani popularis sui corpore incorrupto, rem adeo inusitatam nec referre in causas naturales audens, nec humana majorem temere credendam putans, eam serio apud se expendebat. Accidit, ut audiret ea de re sententiam P. Ignatii Staphorimi (sacerdos erat is natione Anglus, alebaturque in domo professorum Ulyssiponenſi juvantis suæ gentis hominibus), qui documentum id esse contendebat divinæ benevolentia, & præmii genus pro servata defensioneque tot inter molestias fide catholica. Enimvero ita esse clamat, divina collustratus gratia. Volat in collegium nostrum, damnatisque sectæ placitis, jurat in Ecclesiæ Romanæ verba, haud paulo studiosior veritatis defensor futurus, quam antea oppugnator fuisset. Talis transitionem viri exceperunt Catholici incredibili gaudio; Angli vero negotiatores mœrore tanto, ut quidam ad plures dies, velut in gravi luctu, luce & publico abstinerint. Hos inter rerum successus obiit Archiepiscopus Ulyssiponenſis, ejusque in obitu videre licuit, quantam in humanis mentibus commutationem efficere soleat metus vicinæ mortis. Semper antea commiserat cur nostro ordini, aut insensus, aut certe parum amicus putaretur. Illo ipso quo ægrotare cepit tempore, agebat vehementer apud Romanum Pontificem, & apud Regem, ut abrogaretur diploma Gregorii XV., quo Lusitana Societas liberabatur ab onere solvendi clero vigesimas. Tamen ubi ingruere mortem sensit, in supremo illo vitæ actu totum se nostris commisit hominibus, eos ad stare sibi morienti jussit, nec nisi eorum consiliis & opera regi voluit usque ad extremum. Quod adeo præter opinionem accidit, ut creditum vulgo sit, gravissimum præsum, quæcunque dedisset sui erga nos animi indicia, revera nunquam male sensit de Societate, aut saltem in eo rerum articulo, cum veriora esse hominum judicia solent, mutasse sententiam.

139.
Archiepiscopus
Ulyssiponenſis
moriens amicum
Societati se
præbet.

140.
Res gestæ So-
ciorum in op-
pido Rodon-
densi.

141.
Et in insulis
Madeiris.

De rebus in reliqua Lusitaniæ provincia gestis, ut multa ad vitandam fatietatem præterire cogimur, sic aliqua ad specimen indicanda censemus. Valde frugiferum hoc anno fuit Patribus collegii Eborensis oppidum Rodondense, quo cum evangelico ministerio accesserunt. Correcti sunt civium mores sic, ut alia prope civitas videretur. Multum vero ad successum laboris optatissimum contulit loci dominus, vir æque genere ac pietate conspicuus, qui quoties officia missionis peracta sunt, prævit ipse exemplo cæteris, & faciem prætulit quodammodo. Non solum concionibus, & piis supplicationibus intererat inter primos, sed neque dubitabat ea dignitate vir catechismi explicationem audire, & interdum quasi unus de multis interroganti, uti fit, sacerdoti super aliquo christiana institutionis articulo respondere. Etiam in insulis, quas patria lingua Madeiras Lusitani nominant, fructuose versati sunt Patres collegii

Fun-

Funchalensis . Indicio sunt litteræ , quas hoc tempore Episcopus ejus urbis dedit ad Mutium . Iis Antistes litteris multa commemorat de laboribus Apostolicis Patrum , laudat nominatim Benedictum Sequeiram collegii rectorem , atque in extrema epistola prolixè profitetur , socios universè omnes , quantumvis paucos , exemplo vitæ , laboribus , & doctrina , magno sibi adjumento esse in episcopatus onere perferendo . Illis ita in Christi vinea defudantibus , Eboræ desideravit Societas adolescentem eximia spei , Gasparem Freire , de quo multa sunt in litteris ad memoriam illustria , sed una præsertim res hoc loco non tacenda . Erat adolescens parens vidua in Monte majori , qui vulgo novus dicitur . Femina in primis religiosa , & notæ pietatis , dederat Societati filium adeo non invita , ut imo non alia re magis viduitatem ac solitudinem solaretur suam , quam cum se matrem esse Jesuitæ meminerat . Hoc illi gaudium invidens malus dæmon , quadam die formam induit filii , seque a Societate pulsus simulans , matrem adit querulus , & oppletus lacrymis : narrat , se sine causa , ac per summam injuriam extrusum fuisse e collegio Eborensi : recipi denuo in paterna domo , & materna charitate recreari postulat . Vix non exanimis corruit ad eas voces pia femina . Ubi se collegit paululum , increpare durioribus verbis filium , matricidam vocare , qui aliquo certe suo merito , contra quam contestaretur , fuisset dimissus . Maneret quidem domi , sed parentis benevolentiam pristinam desperaret . His dictis , oppressa lætu mulier certum hominem legat Eboram cum litteris ad collegii rectorem . Plenæ erant querimoniarum litteræ : nempe quod filium suum nullam noxam promeritum Societas contra jus fasque expulisset , id mater conquerebatur summa acerbitate verborum . Obstupuit rector vehementer : feminam putavit errore mentis affici , vitio ætatis : Gasparem quidem certe versari in collegio norat , nulli venisse in mentem illum de Societate dimittere . Id ut tabellarius matri affirmare certo posset , adesse coram jubet Gasparem , ac de se fidem facere . Vocatur , adest nulla mora . Eum tabellarius ut vidit , vix oculis credidit . Redit illico ad matrem , quid audierit ex rectore , quid suis ipse oculis viderit , nunciat . Perquiritur tota domo Gaspar ille fictitius , qui se in ædium interiora penetraverat , nusquam invenitur . Ita fraus mendacissimi hostis detecta est , & pia femina mœror depulsus . Crescebat post hæc adolescens pietate , & litteris in magnam spem Societatis , cum latam spem acerba mors intercepit . Post biennium Gaspar copiosum ore sanguinem eiecit , rupta vena ; nec multo post cælo maturæ naturæ concessit xv. Cal. Aprilis . Juvenem est subsecutus ex Ulyssiponensi professorum domo senex annorum nonaginta , Fr. Joannes Fernandus , rei domesticæ administer , cui nullam defuisse laudem tradunt earum , quas in ejusmodi gradu Societas postulat . Humilitate , modestia , laborum tolerantia præcipue spectabatur . Nunquam induxit animum , ut potestate uteretur a majoribus ultro facta discendi litteras , sua sorte contentus scilicet , & contemni gaudens . Inter partes domestici ministerii eas obibat libentius , quæ plus haberent laboris atque operæ , quæque humiliores censerentur . Plures continenter annos gallinarii domestici curam gessit : toto autem hoc tempore nulla præterit dies , qua non collectas diligenter mensæ reliquias , cum cæteris culinæ purgamentis imponeret capiti , ac deferret in chortem , tam lætus ea sarcina , quam si auro gemmisque coopertus incederet . Vigiliis in multam noctem productis , flagris , cilicio , cibi potusque parsimonia , corpus exercuit usque ad senectutem extremam . Obiit die anni ultimo , quodque ne gravis ulli esset optaverat , repentino defectu virium , & vitæ .

142.
Mors & elogium Gasparis Freire scholastici .

143.
Mors & elogium Fr. Joannis Fernandii .

144.
Augetur Eboræ cultus SS. Ignatii & Francisci Xaverii .

144.
Augetur Eboræ cultus SS. Ignatii & Francisci Xaverii .

Eodem anno augetur Eboræ cultus SS. Ignatii , & Francisci Xaverii , decreto per collegium sacerdotale facto , ut anniversarii eorum dies in posterum solemnibus liturgiæ officiis celebrarentur . Vixi ambo honoris istius accessione dignissimi , cum ob alia merita , tum præsertim ob crebra beneficia , quibus beati Cœlites , non eam modo civitatem , sed omnem prope Lusitaniam sibi demerent . Duo circumferebantur recentissima , quorum primum ad Ignatium

145.
Insigne miracu-
lum S. Ignatii
in urbe Por-
tuenſi.

146.
Aleator S. Xa-
verium in ludo
propitiæ ex-
peritur.

147.
RES PROVINCIÆ
GOANÆ.
Status Societa-
tis in Æthiopia.

148.
Res hoc anno
gestæ cursum
indicantur.

tium pertinens, hoc accidisse modo narrabant. In urbe Portuenſi uxori Ducis Mirandensis enatum erat in facie ex affluxu pestilentis humoris genus tuberculi, quod in vomicam purulentam degenerans, præterquam quod foedabat enormiter speciem oris, guttur jam corripuerat, angebatque, haud dubie prorupturum ulterius, nisi vagantem late pestem chirurgi ferro scinderent. Modum hunc curationis horribilem, & exitu periculofum, qui tamen medicorum iudicio suppetebat unus, mulier maximopere refugiebat. Ipsa invita, chirurgi nihil aggredi audebant: morbus interea per dies singulos invaleſcebat. In hoc statu rerum uni ancillarum venit in mentem beati Patris Ignatii, cujus ex reliquiis commodum erat domi quædam particula. Heram commonet, Ignatii ut opem imploret, ejus reliquias admoveat ulceri, & beneficium expectet. Monenti paruit mulier cum insigni fiducia, eodemque momento temporis, tumore sponte disrupto, defluxit quidquid intus collectum fuerat noxii humoris, ipsa ab omni non modo periculo, verum etiam molestia liberata est. Diversi fuit generis beneficium, sed mirandum æque, quod celebrabatur Bracharæ de S. Francisco Xaverio, atque hæc ejus summa. Aleator perditus jacturam ingentem pecuniæ fecerat, cujus causa mœrens, ut usuvenit, & consilii inops, pene se desperabat. Multa pervolutans animo, meminit auditum sibi olim de quodam milite, qui Xaverii adhuc viventis ope argentum ludo amissum recuperaverat, mutata repente ludi fortuna. Erectus in spem similis beneficii, Xaverium fidenter invocat: rogat atque obsecrat, ut aleæ sortem fortunare sibi tantisper velit. Id si fecerit, duo promittit, interposita voti religione: primo, nunquam deinceps aleas tractaturum: deinde, diem ejus anniversariam celebraturum pridiano jejunio, & perceptione sacrorum. Concepto in hunc modum voto, beneficium uti certo obtinendum præcipiens animo, iterum se ludo committit. Mira profecto res! Mutaverat fors in tantum, ut qui semper antea illam experiebatur adversam, jam ad singulos ferme jactus haberet propitiæ. Nec voti fidem fefellit. Cum reparasset brevi priora damna, ludo abstinuit postea, eoque non contentus, Xaverii beneficium sibi duntaxat notum, grati animi causa in lucem eduxit. Caterum exemplum istud nos magis admirationi hominum, quam imitationi propositum volumus. Multo sane consultius veriusque sit abstinere penitus ludo periculoso, quam ad propitiandam ludi fortunam vota religionesque interponere. Sed de provinciis Europæ satis multa.

Ad transmarinas progredienti occurrit primo loco missio Æthiopica, quæ ad provinciam Goanam est referenda. Octo stationes in Æthiopia numerabat Societas anno præſenti: Fremonsensem, omnium antiquissimam, in regno Tigre: Dancaziensem, Ganetensem, & Gorgorensensem in Dambeano: in regno Gojani Collelensem, Serguensem, & Gabramensem: demum in regno Begamedreno Athquarensensem. Divisi per has erant socii omnino undecim, præter præsidem omnium P. Antonium Fernandium, quem Imperator, ubicunque castra faceret, habere volebat apud se. Solent quippe in castris plerumque degere reges Æthiopiæ, eaque, ut res postulat, subinde commutant. Patribus favebant ubique provinciarum proreges, omnium vero maxime frater Imperatoris Cela-Christus, vir studio religionis summe flagrans, ut sæpe alibi demonstratum est; nostro autem ordini addictus in tantum, ut cum accepisset nuper a Mutio litteras, quas germanitatis dicimus, ea re gloriaretur plurimum, ac sæpe domi tunicam Societatis quasi unus nostrorum indueret. Verum id levius fortasse. Illud præstabilius multo, quod ejus fulti auctoritate & præsidio PP. Franciscus Carvalliis, & Antonius Brunus, vix quidquam ad salutem animarum inceptabant inter Gojameses, quod feliciter non perficerent. Hoc anno corruptelam gravissimam, & longo usu inveteratam sustulerunt. Cœnobium erat, in quo admixtæ monachis habitabant feminae religiosæ. Prorege adnitente, nostri perpulerunt monachos, ut sexuum segregationem admitterent. Iidem excursionibus e sua sede Collelana factis ad Agaos finitimos, ethni-

ethnicorum fere duodeviginti millia ad baptismum perduxere. Pari ferme cursu fluebant res in reliquis ubique stationibus. Gorgoræ P. Ludovicus Cardeira seminarium regebat puerorum quinquaginta. Cum ad cæteram institutionem addidisset artes musicas, brevi spatio perfecit, ut res divinæ, psalmodiaque ad præscriptos numeros apte peragerentur: id quod hominibus talium insuetis prope miraculo fuit, movitque quam plurimos, ut latinos ritus & cultum amplecti vellent. In statione Ganetenſi P. Ludovicus Azevedus, senex licet emeritus, & valetudine afflicta fatiscens, non modo adolescentium seminarium instituebat, verum etiam schismaticis erudiendis operam assiduam navabat, ex quibus reduxisse hoc anno dicitur ultra mille & quingentos. At perinde quasi parum id esset, homo summe laboriosus, & inexplebilis charitatis, plura etiam scripsit ediditque ad publicam utilitatem opuscula vernaculo gentis idiomate, cujus artem grammaticam usui nostrorum confecerat. Eodem tempore quotidianam psalmodiam, quam vulgo clericorum officium dicimus, in linguam, quæ apud Æthiopes litteratorum est, transferebat: ut mirum sit, homini tam occupato, tam infirmo suppetere tantum otii viriumque potuisse. Damotæ, gens cultu aspera, & erroribus innutrita, fidem latinam, ejusque præcones hæcenus execrati fuerant. Interventu Bucoi Proregis, hoc anno religionis magistrum acceperunt P. Emmanuelem de Almeida, nec est dictu facile, quæ statim secuta sit voluntatum commutatio. Adibant illum certatim nobiles plebeique, omni genere officiorum colebant, erudiri poscebant tanta assiduitate & frequentia, ut vir, cæteroqui impiger & indefessus, ægre posset multitudini accurrentium satisfacere. In regno Begamedri sementem divini verbi faciebat P. Gaspar Pæz, ac mense uno lucratus erat schismaticorum capita amplius quadringenta. In medio rerum cursu Fremonam accitus, successorem, habuit æque strenuum, P. Hyacinthum Franceschium, qui coepta Pæzii viriliter promovens, exiguo tempore schismaticos duplo plures ad Ecclesiam traxit. Fuit in hoc numero Archimandrita magnæ inter suos auctoritatis, & plurium cœnobiolorum præpositus, qui cum diu veritati ferociter ac præfracte resistisset, divina tandem pellente gratia damnavit errorem Dioscori, Romano Pontifici sacramentum dixit, peractaque apud Hyacinthum multis cum lacrymis confessione piaculari, factus exinde est veritatis fautor tanto studiosior, quanto infensior antea fuerat adversarius. Atque hæc in summa de nostrorum laboribus, ac rebus gestis.

Rem modo exponere aggredimur, ex omnibus quæ in missione Æthiopica contigerunt maxime memorabilem, adventum scilicet novi Patriarchæ Alphonsi Mendez, quem a Romano Pontifice datum aliquando tandem Æthiopiæ dicebamus alibi suo loco. Liceat nobis in hac re perscribenda paulo exordiri altius, ac totum Patriarchæ iter, & itineris eventus varios a suis initiis repetere. Classem indicam Ulyssipone conscenderat Mendezius anno ante hunc de quo scribimus tertio, habens in comitatu septendecim de Societate, præter Didacum Secum, & Joannem Rocham, illum Nicæni, hunc Hierapolitani Episcopi titulo insignitum, qui ejus locum, si quid accideret humanitus, alius post alium implerent, atque interim in administrando amplissimo Patriarchatu comites, & adjuutores essent. Prius quam Goam attingerent, perierunt in ipsa navigatione quatuor sociorum, atque inter alios Didacus Secus Nicænus Episcopus, quem Patriarcha eo dessevit acerbius, quod præcipuam rerum gerendarum spem habebat in ejus viri religione, litteris, prudentiaque repositam. Sed nec Hierapolitanus in Æthiopiam pervenit, coactus gravibus de causis Goæ consistere. In hac urbe, cum nulla se daret occasio transmittendi in Æthiopiam, plures menses substitit Patriarcha, sed non otiosus. Multa sibi comparavit adminicula ad propagandum inter Æthiopes divinum cultum, curam ponens præcipuam in condiscenda gentis lingua, ejusque moribus cognoscendis. Dederat jam pridem litteras inaugurationis suæ nuncias, tum ad Imperatorem, tum etiam ad ejus fratrem Cela-Christum. Responsum ab utroque accepit

To. I.

G g g 2

Goæ,

149.
Alphonsus
Mendez novus
Æthiopiæ Pa-
triarchæ Goam
desertur.

150.
Goæ litteras
accipit ab Im-
peratore.

151.
Et ab ejus
fratre Ce-
la-Christo.

152.
Baylurum na-
vigat, portum
regni Danca-
lenfir.

Goæ, quorum non alienum fortasse erit exscribere hoc loco epistolas in latinum conversas. Quæ ab Imperatore mittebatur, totidem erat concepta verbis. „ Epistola Seltan-Seguedi, Dei gratia Imperatoris Æthiopiæ, cum bona boni Pastoris pace, qui posuit animam suam pro ovibus suis, reddatur Alphonso Patriarchæ Æthiopiæ. Habemus Deo ingentes gratias, quod votorum nostrorum ac precum nos aliquando tandem compotes fecerit, perduxeritque ad optatissimum illud tempus, quo te possemus Patriarcham amplecti, & alios præterea multos de Societate intueri in Æthiopia. His profecto indigemus vehementer auxiliis ad colligendas oves, quæ tempore tempestatis & caliginis miserandum in modum dispersæ, dissipatæque sunt. Faxit Deus, ut huc quamprimum subeas incolumis: tuam enim præsentiam & auctoritatem omnino exigit salus Imperii nostri, ut ex litteris Patrum, qui hic versantur, intelliges. Precamur interea bonorum omnium auctorem Deum, ut quod operatus est confirmet, ad incrementum gloriæ suæ, ac tot animarum salutem. Die xx. Martii anni MDCXXIV. „ Cæla-Christus Patriarchæ litteris respondit in hac sententiam. „ Responsum Cæla-Christi, Capitis Principum Æthiopiæ, deferatur ad Venerabilem Patrem Alphonsum Mendezium, Patriarcham Æthiopiæ. Pax Domini nostri, Verbi æterni, per quod facta sunt omnia, quod nostram assumpsit humanitatem ex Virgine omnino sancta, & macula prorsus experte, ut se ipsum propter nos in ara crucis offerret, Dominationem tuam præstet incolumem, perfusamque suæ gratiæ rore salutari mittat quamprimum in possessionem novæ dignitatis, quam pacate obtinere nemini adhuc illorum, qui huc Roma missi sunt, licuit. Maximam cepi voluptatem ex litteris Dominationis tuæ, nullam ut majorem in omni vita senserim, nec eam continere animo, aut explicare verbis possim. Ita prorsus gravisus sum, ut opinari licet de justis, qui liberatorem humani generis anxie expectabant apud inferos, cum repente divinam ejus lucem & vultum aspexerunt. Hærebam ego sane tanti negotii expectatione suspensus, atque anxius: nunc vero, cum ad exitum feliciter sit perductum, quas Deo tam bene de me merito gratias reddam, nescio, atque inter maxima ejus beneficia pono, quod me ad hæc usque tempora reservaverit. Jam nihil mihi longius est, quam intueri Dominationem tuam, quam tuos pedes deosculari. Rogo itaque te etiam atque etiam, ut acceleres, & multos tecum Patres adducas. Æthiopia, quæ tua merito dici jam potest, innumeris abundat populis, multique ex erroribus Dioscori recipere se gestiunt ad viam rectam, olim a D. Leone Romano Pontifice, & a D. Petro pastorum pastore maximo commonstratam. Sunt etiam ethnici bene multi, qui christiana petunt sacra, Agai præsertim, quorum ego idolum vetus nuper Deo favente combusit. Hi nunc ad baptismum confluunt catervatim, itemque Casri, quibus ne christiani fiant nihil obstat, nisi paucitas sacerdotum. Quamobrem Patres Societatis quamplurimos tecum advehendos cura: nimis enim multi esse non possunt. „

Lætus his litteris Patriarcha, consensu ubi primum licuit navigio, Diem solvit cum comitibus undeviginti. Sex erant de Societate, videlicet Joannes de Velasco, Hieronymus Lobus, Brunus de Sancta Cruce, & Franciscus Marquez, sacerdotes; Emmanuel Luisius, & Joannes Martinus, rei domesticæ curatores. Cæteri, partim adolescentes periti mulices, partim camentarii, quorum artificium in Æthiopia valde expetitur, ac prorsus incognitum: tres ad extremum famuli, ac peregrini totidem, Æthiopiam natale solum repetentes. Cum hoc comitatu Caulim primo, inde Diem appulsus, dum parat porro progredi, certior fit, oclusum esse iter solitum per Suaquenum & Mazuam. Præterea Suaqueni, inexplebilis avaritiæ hominem, tam multa a negotiatoribus exigere portorii nomine, nemo ut auderet merces illuc importare. Præterea inter ipsum, & Imperatorem Æthiopiæ recentes intercedere similtates, quarum causa vir Æthiopi charus, ab eoque summe expectatus, non esset ibi futurus sine periculo. Vitandam ergo illam oram, petendum
recta

recta Baylorum, portum regni Dancalensis in mari erythraeo: tuta hic omnia ac salva fore, rege quippe finitimo Æthiopiæ, ac foederato. His rebus cognitis Patriarcha, relicto itinere, quod Mazua erat expeditissimum, navigatione dierum quindecim venit ad insulam Socotoram: atque hinc fretum Arabicum ingressus, ac secus oram Africani littoris Mocam, aliasque infames prædonum latebras quam celerrime præterlapsus, tandem post sexcenta pericula jecit anchoras in conspectu Bayluri. Cum stetissent e regione portus duæ quibus venerat naves armatæ, oppidani armorum, fulgore conterriti tumultuari, de prohibenda exscensione deliberare, scapham interea ad explorandum cum expeditis remigibus mittere. Ut compertum est Patriarcham Æthiopiæ vehi, versa continuo rerum facies. Accedit gratulabundus ad naves præfectus oppidi, habere se dicit in mandatis a suo rege, ut Patriarcham, & ipsius comitatum exciperet hospitaliter: omnes denique amice susceptos ad oppidum deducit. Hospites nonnihil recreati, discedunt post biduum Bayluro, ac proficiscuntur ad regiam Dancalensem, salutaturi regem, ut putabant, benevolam, atque inde in Æthiopiæ terrestri itinere pervasuri. Via erat ad regiam civitatem, non tam longinquitatis, quam asperitatis causa, dierum septendecim: regio tota sterilis ac siticulosa: nullæ urbes, pauca mapalia, raræ admodum arbores, solitudo ubique ingens, & inamœna. Molestiam augebat æstus immanis, & inopia aquæ, quam iis locis viatores ad restinguendam sitim, humo in scrobes excavata, scrutantur. Desluunt quidem e vicinis montibus aliqui torrentes hiberno tempore, sed siccantur per æstatem, eosque arenæ combibunt. Quod si quid tamen humoris in lamas derivatur, id amara salugine infectum est. Montes editissimos, qui necessario sunt superandi, asperant lapides scabri, & ferri scoriæ quam simillimi, inter quos ingredi non possis uno die sine caligarum jactura, & dolore pedum ingenti. Per hanc regionem nostris hominibus iter incredibile incommodo, quod gravius faciebat Maurus viæ dux, vir moribus inhumanus, lingua improbus, prorsus agrestis & infociabilis; ferendus tamen, quia camelos ad onera convehenda locaverat, & periculum erat ne abjectis sarcinis abscederet cum jumentis. Regiæ appropinquantibus obviam venit regis frater, specie quidem ut honorem exhiberet hospitibus, reipsa ut avaritiæ suæ faceret satis. Homo fordidus, salute vix invicem data & accepta, mentionem intulit de muneribus sibi tribuendis, quæ cum explicatis in media via sarcinis abstulisset, videri desit. Haud multo plus regiæ indolis repertum in rege, æque inopi, & habendi avido. Tegebatur culmo regiæ: solium e rudibus constans faxis, tapete internebatur vetusto, ac semilacero: conopeum e crasso & vili panno, duæque in abaco cucurbita, tota regis supellex. Talem regem non deterruit majestas, quin multa ab hospitibus, præter oblata ab initio munera, peteret. Itaque alia ex aliis insatiabili aviditate flagitans, & beneficii loco apponens quod non raperet, paulatim eorum sarcinas expilavit. His malis accessit utilium summa penuria. Patres enim pro certo habentes, in urbe regia copiam omnium rerum inventum iri, partem commeatumum maximam reliquerant Bayluri: hic vero vix pecunia inveniebant quo famem pellerent, & sæpe dies integros coacti sunt sola oryza exigere, in deliciis habentes, si quid ferina adderetur. Post sexdecim hujusmodi hospitii dies, Patriarcha commeatum petiit. Discessurum dimisit rex, ut illis moribus, honorifice. Pridie quam abiret, equo imponi, ac per suos stipatores deduci jussit a regali palatio ad tentorium Patrum, affectante populi innumera multitudine, & acclamante. Equum ornabant monilia quædam, & tintinnabula, qualia solent apud nos mulis, aut mandræ cujuscumque ductoribus e collo suspendi: eo tamen equo & ornato nemo uti poterat, præter regem. Quare insidentem illi Mendezium festivo quidam ex nostris, veluti alterum Mardocheum, admonuit ejus sententiæ: *Sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare.* Eidem postridie dis-

153.
Progreditur ad
regiam Dancalensem
itinere perincommodo.

154.
Parum liberaliter
excipitur a Rege.

155.
Quo honore
dimissus fuerit.

scendenti dono misit strigofum & capularem mulum, quo sarcinariis jumentis adjuncto, perrexit Patriarcha cum toto comitatu pedibus iter facere.

156.
Transgreditur
celebres ejus
terre salinas.

Dancale egressos excepit post iter tridui vasta planities, quæ Danca-
lensem ditionem disternat ab Æthiopica. Regio est sale tota confans, quem
securibus excisum, & in laterculos conformatum indigenæ per Æthiopiam de-
portant, & in mercimoniis pro pecunia habent. Color illi ab æstu ruber,
virtus non tantum ad cibos condiendos, verum etiam ad sananda corpora uti-
lis. Hunc porro salem generare dicuntur erumpentes ex æquore vicino salis
vapores, qui densa caligine illi agro semper incubant: nisi forte exundans
olim in planitiem aqua maris, & vi caloris incocta glebis, in salem concre-
verit. Utcunque sit, tantum ea terra concipere calorem solet ab ardenti sole,
ut viatoribus coria calceorum perinde contrahantur, ac si prunis essent ad-
mota. Sæpe vapor torridus jumenta & homines extinguit: quæ causa est, ut
nemo hinc audeat iter carpere, nisi nocturnis horis. Sed percommode nostris
accidit, ut cum illum terræ tractum attigerunt, etiam si multum superesset
diei, solem obduxerit densa nubes: quæ usi opportunitate, ausi sunt porro
progredi, donec salinis post se relictis, circa lucem intra primos Æthiopia
fines constiterunt. Simul atque huc pedem intulerunt, resulit in aere lumen
insolitum instar stellæ ingentis, quæ primo radere horizontem visa, mox to-
tum hemisphærium magna luce complevit: compertumque est postea, eadem
die, & eodem momento temporis idem ostentum conspectum esse Fremona,
& fulgorem illum antelucanum omnibus admirationem movisse. Post exortum
solis, gravissima siti laboratum est, vix ut spes superesset itineris reliqui con-
ficiendi. Torrebantur immani calore omnes: aliqui, non ultra pedibus cor-
pora sustinentes, humi se jam abjecerant, ut proxime morituri. Alii capta-
bant antra, ubi solem æstumque fugerent. Nulla ostendebatur ad aquandum
via, quæ tamen nisi inveniretur, certa mors erat. Patriarcha consilium cepit
iter relegendi retro, ejusque vestigiis nonnulli sodalium institerunt. Ecce
autem errantibus in dorso montis occurrit homo ignotus, amice illos salu-
tat, voce ac manu locum demonstrat, ubi aquæ copiam invenirent, viæ du-
cem se offert. Suberat suspicio fraudis, & insidiarum metus. Attamen qua-
lecunque periculum, cum aliqua spe salutis conjunctum, præsentis desperationi
præferentes, suspectum ducem sequuntur. Deducti sunt in amoenissimam val-
lem, ubi fons aquæ dulcis manabat. Post sedatam sitim, utres plenos ejusdem
laticis quam celerrime ad socios deferunt, qui æstu, siti, ac defatigatione
confecti jacebant: omnes pariter humoris copia recreantur. Hinc pergendum
erat per Galarum campos aditu periculosos, & crebris latrociniiis infames. Lo-
cum silentio noctis celeriter præterierunt, ac postea quam in montes opposi-
tos evaserunt, oculos retro flectentes, sparsa viderunt per agros cadavera ho-
minum ferme centum & sexaginta, cohortem scilicet integram viatorum, quam
nocte superiori latrones interfecerant. Gratias Deo liberatori persolverunt,
quo protegente periculum præsentissimum evasisent, progressique adhuc bi-
duum, devenere ad montem, quem Senaphem appellant. Vix ibi tentorium
erexerant, cum admonitus de adventu Patriarchæ P. Emmanuel Barradas,
montem eundem subiit cum Imperatoris consobrino, aliisque proceribus, &
magna Lusitanorum manu. Assuit præ cæteris famulus Cela-Christi, dono fe-
rens Patribus jumenta ad iter reliquum conficiendum, habebatque in mandatis
ab hero, ut primus omnium pedibus Patriarchæ figeret osculum ipsius nomi-
ne. Quis jam utriusque agminis primum occursum explicet? Quis erumpentem
ex omnium ore lætitiæ? Quis testes lætitiæ lacrymas utrinque fusas? Hære-
bant mutuis aspectibus defixi, nescias utri majore gaudio: hi quidem, quod
post immensa oceanî ac terrarum spatia, quæsitam tot periculis laboribusque
metam aliquando attigissent: illi vero, & maxime Lusitani, quod coram in-
tuerentur Antistitem suæ religionis & patriæ, rem tandiu, tam ardentibus
votis

157.
Æthiopia fines
ingreditur. De
quodam osten-
to.

158.
Reliqui itine-
ris incommoda
& pericula.

159.
Occurrunt Pa-
triarchæ multi,
eumque Fre-
monam dedu-
cunt.

motis expetitam, ac fere jam desperatam. Post quam officiis, gratulationibus, & amplexibus satis datum, lati carpunt viam pariter, unoque & maximo agmine Fremonam contendunt, quod oppidum olim a S. Frumentio Abissinorum Apostolo, ut narrant, conditum, & postremis temporibus Patriarchæ Andree Oviedi domicilio ac sepulchro nobilitatum, reparandis ab itinere viribus delectum fuerat.

Fremonam attingit Patriarcha xi. Cal. Julii, scripsitque continuo ad Imperatorem, ut de suo adventu certiore illum faceret, Imperator, qui jamdiu nihil de eo audisset, multaque propterea noctes, ut affirmabat, insomnes duxisset, quippe adversi aliquid metuens a feritate Galarum; tam fausto optatoque nuncio lætitiis omnibus incescit. Adeste confestim jubet regni proceres, vocari ad tubarum clangorem populum; venisse jam Patriarcham, præconis voce significat. Acclamatum est ab omni multitudine cum faustis ac lætis comprecationibus, ut bene, ut feliciter verteret genti Æthiopum adventus ejus. Ea mox dies tympanis, tibiis, tripudiisque celebrata: decursionibus equitum, & ludis militaribus certatum in castris, ut in eventu omnium auspiciatissimo. Hæc videns P. Antonius Fernandez, perscripsit ad Patriarcham ut quamprimum ad aulam accederet, præclaram rerum gerendarum opportunitatem; nisi cunctaretur, habiturus, animis ita affectis: periculum vero esse, ne mora flaccescerent hominum studia, & præsens habitus animorum pro infirma gentis mobilitate verteretur. His sane movebatur Mendezius: ne tamen iret statim, prohibebatur, partim fatigatione itineris, partim hieme, quam Junius mensis affert Æthiopiis. Continuit ergo se Fremonæ usque ad finem Novembris, eoque medio tempore multa ad salutem gregis sui providit, ac gessit. Principio, ut speciem catholicæ religionis offunderet schismaticis, die Apostolorum principibus Petro & Paulo sacra rem divinam fecit solemniter, cum eoque apparatu, qui Romanæ majestatem Ecclesiæ deceret: nam & muficos in hunc usum, & instrumentum sacrificale secum devexerat ex Europa. Appulit deinde animum colligendis, Ecclesiæque conciliandis schismaticis, qui undique confluebant tanta multitudine, ut interdum amplius centenis in dies singulos fuerint numerati. Demum, decembri mense ineunte, e regno Tigræ profectus est in Dambæam, quo Imperator exercitum promoverat ad compefcendos Falaxas (natio est Hebræorum ante plura sæcula in angulo Æthiopiæ degens), qui sumptis armis fines illius regionis incurfabant. Nondum hoc præterito tempore Patriarcham viderat Cela-Christus, implicitus bello difficili, quod contra Capraelem quemdam rebellem, & ducem schismaticorum gerebatur. Nec absuit suspicio, talis administrationem belli fuisse illi traditam ab Imperatore de industria, ne alloqui tam cito posset novum Pontificem; nam, metuere ferebatur (ut suspiciosus est amor, nec ipsi humanis infirmitatibus earent summi viri), ne frater sibi locum præriperet in amicitia ipsius. Utcunque tamen esset, Cela-Christus videre & venerari Præfulem summe cupiens, commisso feliciter prælio cum Capraele, debellavit temporius quam sperandum videretur, atque inde magnis itineribus ad aulam veniens, adventum Patriarchæ lentius incedentis prævertit. Processit porro Mendezius Ganetem prius, ubi horti regii, & statio nostrorum erat, cum templo recens exstructo ex lapidibus, ut alibi dictum est. Venienti obviam prodierunt quinque Patres Societatis, lati illi quidem, & in omnem obsequii significationem effusi, at ea oris macie, eo squalore vestium, ut aspectu ipso testarentur labores, & inopiam suam: quæ res homini suorum fratrum amantissimo multum lacrymarum expressit. Solatio fuit filia Imperatoris Malac-Seguedi, Seltani consobrina, femina spectatissima, quæ in hunc locum progressa ut novum Æthiopiæ Pontificem honore debito prosequeretur, post delatum ipsi obsequium, confessionem piacularem apud eum peregit, & panem mysticum de ipsius manu sumpsit. Inde ventum Gorgoram, itinere unius diei. Ut secus viam inveniebantur monasteria minimum duodecim, undique occurrerunt in ordines distri-

160.
Insignis lætitia
in regis ca-
stris de adven-
tu Patriarchæ.

161.
Qui Fremonæ
non otiosus
subsistit ali-
quandiu.

162.
Mox ad aulam
proficiscitur.
Quam cupide
expectaretur a
Principe.

163.
Quo honore
exceptus ubi-
que fuerit in
itinere.

buti monachi, cum crucibus, thuribus, & umbellis, psallentes more patrio, & sinistra certatim aut tympana quatientes. Latissimus præsertim accidit occurfus alumnorum seminarii Gorgorani. Obviam processerunt frequenti agmine ad tria passuum millia, duce P. Ludovico Cardeira: quos Præsul adolescentes ut vidit in veste clericali, ut latinis vocibus, aptaque numeris modulatione concinentes audivit, magnopere est recreatus. Eo interea Gorgora commovente, Imperator, Falaxis pene profligatis, relictisque ducibus qui belli reliquias persequerentur, properaverat Dancatium, locum Patriarchæ admissiõni destinatum, atque inde missõ internuncio, diem illi condixerat, quo Gorgora se commoveret, aulam subiturus.

164.
Qua pompa fuerit ad Imperatorem ductus.

165.
Ut primum admittis fuerit ab Imperatore.

166.
Agitur de conjungenda Ethiopia cum Ecclesia Romana.

166.
Agitur de conjungenda Ethiopia cum Ecclesia Romana.

Ad præstitutum diem dedit se in viam Patriarcha. Vicissim Imperator præmisit milites prætorianos, equitum peditumque millia fere septemdecim, ut occurrerent venienti, & honorifice exceptum deducerent in regia castra. Exercitum armis vestibusque fulgentem ducebat Cela-Christus, medius inter duos regios liberos, Facildam regni hæredem, & Claudium, magna nobilitate manu succinctus. Ut in conspectu fuit Patriarcha, omnes in genua se abjecerunt. Cela-Christus equo delapsus accedit propius ad Præsulem, ac post salutationis officium humanissimis conceptum verbis, manum ejus exosculatur, Pedem etiam osculabatur, nisi Patriarcha prohibuisset. Post hæc milites in duas acies diducti Præsulem accipiunt medium, tubisque tota via clangentibus, procedunt ad primum usque septem castrorum. Eraxerant ibi sublime tabernaculum, in quo paululum consideret Antistes, & ab itinere respiraret. Successit huc Patriarcha, viatoriam tunicam talari mutavit, carbasinam crispam, quæ Præsulum propria est, superinduit cum oblongo syrmate; ac post brevem moram, prodiit in apertum denuo: relicto autem cui hætenus infederat jumento, equum conscendit puniceo intestum frangulo, munus Cela-Christi non contemnendum, perrexitque eodem ordine usque ad tentorium aliud inter castra positum. Hic iterum consedit, iterum indumenta mutavit, apparuitque fulgenti tiara redimitus, & amictu pontificali spectandus. Ita vestitus, religionem gravitatemque ore spirans, effertur in equum niveum pulcherrime phaleratum, & ad Imperatorem deducitur. Equi fræna ductabant duo regni principes. Supra præterentum erat splendidum conopeum, quod prælongis suspensum hastilibus sustinebant sex proreges. Incedens per media castra, latis ubique acclamationibus salutabatur, ipse sublata dextera signum bene precandi faciebat. Tandem equo desiliit, & Imperatori oblatum est. Sedebat Imperator in templo B. Virgini dedicato, diademate, purpura, cæterisque regie dignitatis insignibus, & ipsa oris majestate conspicuus. Simul atque admonitus est adesse Patriarcham, venientem affurrexit e suo folio, accedentem amice complexus est, salutanti salutem perquam humaniter reddidit. Ambo deinde progressi ante aram templi maximam, ut rerum secundarum auspicia a Deo honorum omnium largitore sumerent, simul fuderunt preces: quibus peractis Patriarcha, conversus ad innumerabilem populum, brevi, at plena pietatis & dignitatis oratione illum est allocutus, lacrymantibus præ gaudio senibus, ac palam affirmantibus, nunquam auditum sibi Abunam ullum ab Ægypto missum, qui ad populum verba faceret. Digressõ interim Imperatore, etiam Patriarcha, positis sacratioribus indumentis, venit in regiam. Aulam ingentem, & Babylonis tapetibus magnifice convestitam, implebat flos Æthiopice ac Lusitanæ nobilitatis. Visebantur in editiore suggestu duæ sellæ, magnitudine & ornatu pares. Dextram occupavit Imperator, non prius tamen quam assidentem in leva cerneret Patriarcham. Postea quam per familiare colloquium multa fuerunt ultro citroque jactata, mentionem intulit Princeps de revocanda ad obsequium Romanæ sedis Æthiopia, idque sibi unice cordi esse dixit. Enimvero id esse agendum, respondit Patriarcha: id modo unum deesse ad gloriam Principis, ad felicitatem Imperii Æthiopici: id denique Pontifici Maximo, id Regi Catholico, & bonis omnibus optatissimum esse. Quo

Quo loco longum sermonem exorsus, commemoravit quæ per annos amplius septuaginta gessissent reges Lusitaniæ, ut Æthiopiæ cum Ecclesiâ Romanâ conjungerent. Ob hanc unice causam duos olim a Joanne tertio Patriarchas fuisse missos: hoc proposito Claudio Imperatori data fuisse militum Lusitanorum auxilia contra Mauros imperium occupantes; nec alio consilio perrexisse reges Lusitanos eorum militum filios nepotesque annuis largitionibus alere in Æthiopiâ. Tam piis votis non ut par fuerat respondisse Æthiopes. Promississe quidem de se multa atque præclara; pauca etiam feliciter inceptasse; at excidisse postmodum a promissis, nihilque confecisse. Mirari propterea desines, subjecit, quid sit quod tandiu cunctati sint Pontifex maximus, & Rex Philippus tertium Patriarcham, quem poscebas, mittere. Verebantur nempe, quæ vestra est inconstantia, ne ad extremum male haberetur, ut priores duo. Nihilominus, persistentibus Patribus Societatis attestari de egregia tua in rem catholicam voluntate, me denique Rex elegit, me Romanus Pontifex Æthiopiæ Patriarcham instituit. Rex quoniam etiam me cunctis ad usum vitæ necessariis instruxit, non alium quærens tot sumptuum & curarum fructum, nisi ut societatem præscam inecatis cum Ecclesiâ Romanâ, semel vero initam constanter tueamini. Patriarchæ orationem attentissimis auribus exceperunt omnes, sed nemo attentius Imperatore. Paratum se esse, respondit, æqua postulanti satisfacere: daturum propterea operam, ut celebraretur propediem conventus ordinum, in quo sacramentum solemne Romano Pontifici, & Ecclesiæ catholicæ diceretur. Habendis imperii comitiis placuit certam constitui diem, quæ fuit 111. Idus Februarias anni sequentis. Sed quæ acta sint in eo confesso, nos opportunius alibi referemus.

Prius quam ab Africa digrediamur, indicanda breviter ostenta quædam eodem anno visa in Castraria circa corpus P. Consalvi Silveiræ, qui quemadmodum fuerit odio fidei antereptus in regno Monopotapæ, videre est in Historia Societatis. * Hæc ego ostenta ita perscribam, ut narrata fuerunt a viro integerrimæ fidei, & eorum teste oculato P. Alphonso Leone de Barbudas, cujus juratum testimonium est mihi longe gravissimum, licet de re ipsa nihil affirmare auserim. Is ergo quem dixi Alphonfus, cum venisset ob causam nescio quam publicam in regnum Monopotapæ, dum Mozambico navigat ad vicinam oram, quam vocant amnium, tempestate provectus fuerat in eam Castrariæ plagam, ubi Opandæ & Nóbunanguæ habitant, quinquaginta circiter leucis infra promontorium bonæ spei. Amnis inde labitur, qui ex montibus lunæ ortus, Monopotapæ regiam præterfluit, devolviturque in Zembesem, fluviorum Castrariæ maximum. Huc delatus Alphonfus, & secundo ante Zembesem ingressus, venit circa occasum solis ad locum, ubi flumen terræ quodam objectu dividitur in duos alveos. Ibi substitit, applicataque ad proximam ripam navicula, expectare lucem diei sequentis statuit metu scopulorum, qui multi latent sub aqua, & sæpe navigantes fallunt nocturno tempore. In eo terræ spatio, quod aquarum divortia facit, silva erat densa, diversis & proceris arboribus confita. In extrema silvæ ora tignum jacebat ingens coloris ferruginei, cui plurimæ insistebant aves ignoti generis, sed miræ pulchritudinis & elegantiæ. Corpus totum niveo candore fulgidum, exceptis alarum flexuris, quas nigri coloris linea variabat, rostro pedibusque purpureis. Cristas gerebant capite sublimes, quinque constantes quasi ramusculis in crucis formam distinctis. Pavonem indicum magnitudo vincebat. Obstupuit aspectu Alphonfus; tunc vero maxime, cum ex indigenis cognovit, pulchritudine multo esse admirabiliorem avium cantum, nec eum tamen audiri, nisi a quarta noctis vigilia usque ad ortum solis. Re ipsa, albescente die, concentum audit ex commixtis diversi tenoris vocibus harmonicum, ac suavissimum. Intendit animum atque oculos, viditque aves alarum plausu modulantes sonum, quem ore fundebant. Hæc miranti admirationem auxerunt qui aderant piscatores. Narrabant enim, inter eas quas videret volucres hanc

Tò. I.

H h h

per-

167.

P. Alphonfus
Barbudas ostenta
quædam observata
in Castraria.

Par. 2. lib. 5.
num. 237.

168.
Ea fieri compe-
rit circa corpus
P. Conſalvi Sil-
veira.

perpetuo ſervari legem, ut certus earum numerus ſemper inſiſteret eidem tigno, & quidem ſic, ut aliis avolantibus, ſuccederent alia totidem per ſuas vices, nunquam deferente ſtationem aliquo avium grege: proſuſ ut viderentur excubias agere, utque milites ſolent, eas per intervalla temporum commutare. Placuit experiri mora, an ita eſſet. ſervari exacte vidit quas illi dixerant leges. Erant cum P. Alphonſo tres adoleſcentes gente Caſtri, quos cupido ſubita inceſſit exſcendendi in ſilvam, ut cuncta curioſius inſpicerent: ſed vetuerunt piſcatores, certum denunciante infortunium, ſi accederent propius. Nempe omnes aditus memoris cuſtodiri diligenter a tigris, & alterius generis feris, nec eas pati quemquam intro inferre pedem impune. Percunſtanti Alphonſo, quodnam crederent rerum talium initium? hiſtoriam hanc retulerunt, quam agebant eſſe apud ſe fama pervulgatam. Veniſſe olim ſecundo flumine cadaver hominis albi, nigra indutum tunica, & illi tigno circumligatum. Aquarum impetu cum raperetur, hæſiſſe ad obſectam terræ oram. Continuo accuſſiſſe ex interiore ſilva tigris, aliasque gregatim ſeras, rupiſſe retinacula, relictoque ad ripam tigno, cadaver intro devexiſſe. Ab eo tempore cœpiſſe volucres tigno inſistere, ſeras obambulare perpetuo litus, ne quo pede violaretur ſacer locus. Actum id eſſe patrum ſuorum memoria, ante annos amplius ſexaginta, ac ſuperſeſſe adhuc ejus temporis ſenes, qui rem teſtarentur a ſe conſpectam. Jam vero in tota vicinia communem opinionem ferri, quicumque tandem in eo vixiſſet corpore, virum fuiſſe eximium, aut aliquem fortaiſſe minorum gentium Deum, cui mortuo tantum obſequii deferrent brutæ animantes. His addidit longævus ſenex, veniſſe olim in mentem regulo proxime imperitanti explorare, quid illud eſſet rei; conſilium autem ſucceſſiſſe in hunc modum. Fragore magno ac diſſono tractas fuiſſe ad unam ſilvæ oram belluas, eodemque tempore ſubiſſe ex altera duos juvenes agilitate præſtantes, & in præaltam arborem celeriter exiliſſe. Inde conſpectum, iis eſſe in modica planitie jacens humanum corpus, eo vultu & amictu, quem ipſe, quem alii geſtare Luſitani ſacerdotes ſolerent. Viſas circumſtere ritu venerantium crebras tigris, & alias feroces belluas, aliis vero abeuntibus, redire invicem alias, ſibiſque in orbem ſuccedere. Stetiſſe diem integrum exploratores in arbore, ac rem per otium contemplatos fuiſſe: demum eodem quo venerant modo abiſſe, contractis antea belluis ad oppoſitam ſilvæ partem. His cognitis rebus, pro certo ſtatuit P. Alphonſus, corpus illud eſſe P. Conſalvi Silveira, quem ante annos ſexaginta Monopotapenſes odio chriſtiani nominis interfeciſſent. Circumſtantia loci, temporis, indumentorum, documenta omnia mirifice congruebant. Præterea Conſalvus, cum adhuc viveret, ferebatur prædixiſſe non ſemel, nec obſcure, ſe quidem in urbe regia Monopotapæ necatum iri, ſed chriſtianos ſuo corpore non potituros: quod cæteris indiciis adjunctum, rem Alphonſo certam & exploratam faciebat. Itaque Ulyſſiponem reverſus, de his docuit regem, ac paratum ſe obtulit ad illud corpus quocumque ſuo periculo recuperandum: quod tamen pium votum non eſt executus, nec habeo dicere quid obſtiterit. Sed relicta tandem Africa, in Aſiam tranſgrediamur.

169.
RES SINICÆ.
Nova ſtatio
Chiamcel con-
ſtituitur.

Sunt aliqua Sinici imperii provinciæ, in quas hoc primum anno Societas penetravit. In Xanſienſem, quæ ſita eſt inter Pekinenſem & Chiamienſem, in regni latere aquilonari, Societatem intulit P. Alphonſus Vagnonius. Redierat nuper vir apoſtolicus in Sinam, auſus iterum eas ingredi terras, unde ante ſeptennium fuerat barbarum in modum ejeſtus. Labores priſtinos cum reſumpſiſſet Cenſchiani, ubi erat non ſolum fama, ſed etiam facie notiſſimus, P. Emmanuel Diaz, qui, mortuo haud ita pridem P. Joanne Rocha, Sinicæ Societatis adminiſtrationem acceperat, periculofum putabat, virum talem, tam publico olim judicio damnatum, ibi verſari. Accidit ut duo germani fratres religione chriſtiani, genere honeſtiſſimi Chiancium ſecederent, urbem provinciæ Xanſienſis, & unum aliquem ex noſtris poſtulerent. Diazus condonavit illis

illis perquam libenter Vagonum, qui eo profectus, ac statim exorsus divini verbi sementem facere, brevi uberrimum cepit fructum laboris, & industriæ suæ. Paucis post mensibus neophyti jam censebantur Chianci ad aliquot centena, in quibus litteratorum circiter octoginta. Vagnono postmodum datus est adjutor & comes P. Jacobus Rho, ac ne periret aliquando fructus, quem operarii tam impigri colligebant, constituta ibidem Societatis statio perpetua, quæ fuit apud Sinas septima. Penetratum est eodem anno in provinciam proximam Xemsiensem, nostris illam quidem hætenus inaccessible, non tamen christianis penitus vacuam. Christi nomen & fidem huc intulerant præclari quidam neophyti, alibi a nostris sacro fonte lustrati. Principes inter eos erant duo, Paulus Sicutajus, & Philippus Vam, ambo opibus, genere, & muneribus in aula gestis illustres, quibus flagitantibus, & quasi viam sternentibus, subiit illuc P. Nicolaus Trigautius, & sedem fixit Singani, in ipsa provinciæ metropoli. Exceptus a Paulo, nequa per publicos magistratus molestia afficeretur, in suis ædibus, prima jaciebat religionis christianæ semina, cum res accidit omnium maxime memorabilis, ac paulo distinctius explicanda.

Jam pridem nostri multis indiciis opinionem præceperant, floruisse olim apud Sinas christianam fidem, putabantque non temere Evangelii thesaurum, quem nuper P. Matthæus Riccius in hoc imperium invexerat, fuisse quondam ibi depositum a primis ejus propagatoribus, postea vero temporis vitio & iniquitate obrutum, ac sepultum delituisse. Id potissimum conjectabant ex antiquissimis Malabarum libris, qui sunt de actis Apostoli Thomæ; veruntamen rei tamdiu curiosius perquisita nullum adhuc vestigium invenerant in ipsa Sina: cum repente nec opinantibus oblatum est, quo certius optari vix poterat. Dum humus ad jacienda ædificii fundamenta foditur prope Singanum, apparuit marmorea ingens tabula, quatuor minimum palmos lata, longa ferme denos, dimidio palmo non crassior, quæ olim, ut apparebat, in patenti loco proposita, deinde aut collapsa casu; aut ab idolorum cultoribus dejecta fuerat. Exstabat in summo crux affabre sculpta, cum quibusdam ad singula capita veluti liliis, cujusmodi fuisse dicitur quædam alia crux Meliaporis reperta in tumulo S. Thomæ. Ejusdem formæ cruces etiam apud nos in antiquis operibus multæ reperiuntur. Circa crucem varia conspiciebantur nubium volumina. Infra titulus legebatur Sinensi lingua, majoribus constans elementis, transversa tamen linea separatus a sequenti scriptura, quæ totam lapidis faciem implebat. Etiam crassities utriusque lateris plena litteris erat, sed externæ linguæ, ignotæque, quam deinde esse Sirciam compertum est. Admonitus de invento marmore litterato Gubernator urbis, advolavit illico ad locum; utque talium avidissima sunt Sinensium ingenia, lapidem vetustate pretiosum detergi jussit. Et quamquam parum intelligeret mysteria Sinicis characteribus comprehensa, multoque minus Sirciacas explicare sciret litteras, quæ tabulæ marginem ambiebant; tamen in celebri prope urbem delubro lapidem collocavit, substrata basi, & imposito columnis quatuor eleganti fastigio: satis dignum honore omnium & admiratione monumentum existimans, ob antiquitatem annorum amplius octingentorum, quam descripti in eo Imperatores Sinarum indicabant. Addidit e regione alterum marmor, cum indicio loci, temporis, ac modi, quo tabula inventa fuerat. Ea vix exposita, concursum undique est, visendi legendique studio. Litterati, quibus antiquum quodcumque monumentum, pretiosissimum est contra aurum, oculos eruditos tuendo explere non poterant, & animum certatim ad explicandam tabulam adjecerunt. Torsit illos diu scriptura difficilis, donec suspicati mentionem ibi fieri de christiana lege, doctores Paulum & Leonem consulere, misso ad utrumque tabulæ totius exemplo. Illi, ut erant interioribus Sinarum litteris exculti, & legis divinæ periti, facile perviderunt mysteria cæteris ignota, ac lapidis vere pretiosi formam, interpretationem, & sententiam late promulgarunt, additis quibusdam enarrationibus, quæ legentibus lucem ad intelligendum necessariam afferrent.

Tb. I.

H h h h 2

Re-

170.
Alia statio Societatis Singani ponitur.

171.
Monumentum christianæ religionis casu reperitur.

172.
Proponitur publice, & explicatur.

173. Log
Scripturæ in-
terpretationes
& exempla va-
ria.

174.
Summa rerum
in lapide de-
scriptarum.

Restabant, præter Sinicos characteres, Siriacy, quos nemo indigenarum interpretari poterat. De his P. Alvarus Semodus, e Sina in oram Malabaricam profectus, consuluit Cranganore P. Antonium Fernandium, virum peregrinis litteris per quam eruditum, qui litteras cum expendisset diligenter, designari per eas censuit nomina Patriarchæ, Episcoporum, & Sacerdotum, qui rem christianam in Sina, cum exaratus est lapis, administrabant, quasi præclarum monumentum suo singuli nomine ac testimonio confirmare voluissent. Idem Romæ compertum deinde est, ut fuse demonstrat P. Athanasius Kircherus in sua China illustrata. Totam scripturæ seriem huc totidem transferre verbis non vacat, tum quod longior est, tum etiam quod definire non possum, ex multis quæ Romam transmissæ fuerunt interpretationibus, quæ verior habenda sit. Etsi enim omnium fere eadem est sententia, elocutio tamen in multis, propter ancipitem & ambiguam Sinensium characterum vim, diversa invenitur. Quam primi omnium ediderunt doctores Leo & Paulus, summa inter suos auctoritate viri, ea extat hodieque in museo collegii Romani. Breviorem attulit Romam anno MDCLIII. P. Michael Boimus Polonus, diu versatus in Sina. Unam ex omnibus contexit, & italicam fecit Bartolus in sua Asia. Exemplar monumenti ex archetypo descriptum lapide servatur in eodem collegii Romani cimeliario, itemque alterum in tabulario nostræ hujus domus professorum. Nos scripturæ summam ad specimen subjicimus.

Præfixus in lapidis fronte titulus hic legitur. *De promulgata in regno Sinenfi nobilissima lege a Judæis profecta.* Subditur deinde nomen sacerdotis, a quo est lapis inscriptus, in hunc modum. *Kim-cim, Ecclesiæ Christiane Sacerdos, ea, quæ in hoc lapide ad æternam clarissimæ legis in Sina prædicatæ memoriæ leguntur, exaravit.* Hoc præstructo quasi vestibulo, narratio sequitur, contineturque tota triginta versibus, non a latere sinistro ad dextrum, ut apud nos, sed a summo ad imum ductis, quo more apud Sinas scribitur. Characteres haud plures mille octodecim: sed, quæ vis propria Sinicæ lingue est, singuli vocem integram, imo totam interdum sententiam exhibentes. Hoc autem scripturæ initium: *Incomprehensibilis, æternus, verus, excellensque spiritus, immutabilis, & beatus, cujus nec principium, nec finem reperire est, cui soli competit necessario, semper, & nobilissimo modo existere, creavit omnia ex nihilo; cumque sit perfecte sanctus, sanctos fecit, eique acceptam referunt virtutis originem quicumque inter illos eminent.* Pergit hinc narrare, deceptum insidiis satanæ primum hominem originis suæ innocentiam perdidisse: inde corruptum vitiatumque fuisse genus humanum, inde natas innumerabiles pestes, & errorum mille portenta, quibus decepti mortales misere peribant, & in æterna præcipientes ruebant incendia. In tam misero rerum statu, unam e tribus divinæ substantiæ personis, hominem factam, apparuisse orbi terrarum majestate occulta, & sanctum de virgine natum esse. Ad eum venerandum venisse indicio syderis in Judæam Pozuanos (gens est quam Judæa, juxta Sinensium tabulas, respicit ab oriente), eique tributum obtulisse. Ita fore prænunciatum fuisse in lege prisca a sanctis viginti quatuor. Ab eodem sancto propositam hominibus fuisse legem purissimam, sanctissimamque, castigatos mores, fidem erectam, mundum expiatum, donec appensus luce palam est in patibulo, & aperto qui obstructus erat ad vitam aditu, in cælum victor ascendit, relinquens hominibus sacrorum bibliorum volumina, & salutis ostium patefactum aquæ beneficio. Post hæc, sermone ad præcones Evangelii deducto, descriptaque pluribus eorum sanctimonia, narrare pergit, regnante Sinarum rege Tai-zum-veno, venisse e Judæa virum eximie virtutis Olopuenum, attulisse sacris voluminibus consignatam doctrinam, & obtinente regnum Chin-quon-kien-sù, regiam civitatem attigisse. Regis edicto cœpisse tunc christianam legem toto imperio vulgari, excitatis Deo basilicis, sacerdotibus institutis. Contra legem sanctam confurrexissent consecutis temporibus homines iustos; sed eorum conatus fuisse repressos, partim præstantium sacerdotum industria,

partim auctoritate & solertia regum, qui multi recensentur in scriptura reliqua, usque ad annum Imperatoris Chien-kiuni secundum, quo positum fuisse monumentum indicatur in fine lapidis. Hæc summa rerum: ex quibus, collata Imperatorum qui nominantur ætate ad Sinensium annalium memoriam, constat, ingressum christianæ religionis in Sinam exiisse in annum aera christiana sexcentelimum trigelimum sextum; lapidem vero fuisse positum septingentesimo octogesimo secundo. Scio equidem fuisse, qui hujus monumenti fidem elevare conarentur; sed illi fecisse mihi videntur maligne magis, quam probabiliter. Nullum quidem certe opponere argumentum potuerunt tot libris ea de re conscriptis, totque ac tam luculentis testimoniis, non solum Patrum Societatis, qui se lapidem vidisse ac legisse testantur, sed ipsorum etiam Sinensium litteratorum, qui egregios super eo commentarios ediderunt, ac toto imperio pervulgarunt. Similior vero est suspicio, quam movet Bartolus, forte divinam legem, de qua loquitur lapis, fluxisse in Sinam, non ex catholico fonte, sed ex vitiosa Nestorianorum lacuna, quæ illo sæculo septimo per totum late orientem spargebatur. Sed de hac re nihil habeo quod affirmem in alterutram partem.

Novo interim veritatis testimonio velut armati præcones Evangelii, multo fidentius id prædicabant, quod jam muta etiam saxa loquebantur. Magnum præ cæteris animum sumpsit P. Julius Alenius, ausus in Fokiensem provinciam pervadere, & in ipsa provinciæ metropoli Fokei novam Societatis sedem collocare. Excipit hæc provincia Cantonensem, adjacentem mari ex adverso Japoniæ; utque reliquis amplitudine concedit, ita ubertate, opibus, ingeniis præstat. Portubus, & fluminum ostiis abundat, qua utentes opportunitate commercii Fokienses, quaquaversum navigant, tum ad proximas Japoniæ ac Philippinarum oras, tum ultra auream Chersonesum: non enim, sicut cæteri Sinæ, consuetudinem advenarum suspectam habent. Censebantur intra regionem aliqui Christiani; alibi a nostris hominibus initiati, ac sæpe litteris sollicitabant nostros, ut illuc accurrerent, certam spem ostendentes rerum prospere gerendarum. Ne tamen illis mos gereretur, obstabat præter alias causas odium, quo non minus gravi quam iusto apud Fokienses laborabant Batavi, piraticam in mari proximo exercentes. Nam etsi multum interesset inter piraticam Batavorum, & evangelicum quod nostri obibant ministerium, & facile ostendi posset quantum a Batavis homines Societatis, non solum moribus, sed regione etiam, & religione distarent; tamen, ut est vulgus indoctum, plerique ista aut nesciebant, aut non ut par erat considerabant: nostri autem merito verebantur, ne in ejusdem invidiæ partem venirent eo tantum nomine, quod similiter atque illi essent Europæi. His nihilominus ita se habentibus, cessit hoc anno Alenius iteratis precibus Colai cujusdam insignis, nomine Je, qui fautorem se illi offerebat, spondebatque curæ sibi fore, non solum ut tuto esset Fokei, verum etiam ut facultatem obtineret divinæ legis sine offendiculis explicandæ. At paulo post quam advenerat, sensit periculo suo, non vanum fuisse Patrum cæterorum metum, in discrimen ultimum adductus audaci Batavorum facinore. Objacet Fokiensi littori exigua insula, receptaculum seditionis opportunissimum, si qui eam occuparent. Batavi locum speculati ad condendam arcem opportunum, insulam irruptione subita invaserunt, domos edificarunt, & inde per maritimam oram grassari, prope ut maris arbitri, cœperunt. Visum id Fokiensibus indignum, nec ferendum. Classem instruunt celeritate summa, recuperant insulam, navibusque Batavicis partim incensis, partim in fugam compulsis, prædonum aliquot captos, & onustos vinculis Pekinum mittunt, suppliciis atrocioribus necandos. Eo interim factò, ut recrudit Pekini odium vetus in externos promiscue omnes, ita Fokei contra Alenium nominatim minaces voces exaudiebantur. Exterritus periculo Colaüs Jè, & promissorum oblitus, Alenium subito destituit, secessitque in villam, ubi latens, nullam pro advena & amico vocem fudit, prorsus ac si hominem ne agnosceret quidem.

175.
De antiquitate
& veritate monu-
menti.

176.
P. Julius Ale-
nius in provin-
ciam Fokien-
sem pervadit.

177.
Batavorum au-
dax facinus, pe-
riculum Alenii.

178.
Ereptus pe-
riculo Alenius
novam sedem
statuit Fokei.

179.
Acta in Cocin-
cina. Res pa-
rum prospere
sucedunt.

180.
Nova sociorum
manus auxilio
venit Patribus.

181.
Ritus exequia-
les cum infi-
gni pompa ce-
lebrantur, &
quare.

dem. Contra litteratus quidam magni nominis, & procerum amicitia florens, librum virulentum in Christi legem & Patres edidit, eumque totam per urbem ac provinciam dissipavit. Redactus in extremas angustias Alenius, animum non abiecit. Relicta tantisper urbe, recepit se in tugurium, aram composuit, divinum obtulit sacrificium, ut Deum sibi, ac labanti rei christiana propitiaret. Nec sua illum fefellit fiducia. Erat Hancei vir inter Fokienes longe doctissimus, nomine Melchior Ceus, a duobus tantum annis in Christi gregem adscitus. Is, cognito Alenii periculo, Fokeum illico contendit, docuitque urbis proceres, ac gubernatorem in primis, quantum Societatis homines a Batavis discreparent. Tum Alenium ipsum e suis latebris in publicam, produxit lucem, easque in ædes transtulit, quas adeuntium procerum dignitas non fastidiret. Adierunt illum Mandarini frequentes, ac majorem famam, sua repertum, donis & singulari benevolentia coluerunt. Colauius Je, postquam hæc initia tam belle fluere, doctoremque Europæum peregrinitatis suspectæ labe purgatum vidit, amico gratulatum venit, & velum sericum protulit, in quo ipsius, & christiænæ religionis laudes majoribus litteris exaraverat. Ut est Colaorum incredibilis auctoritas, hoc veluti protecta velo christiana lex boniorum minas, & malignos procacis vulgi rumores contempit. Quin ille litteratus, qui Patres & Christi doctrinam, ut supra dictum est, maledico scripto profciderat, veniam ab Alenio petiit, & satyræ petulantis exempla quæcunque potuit retrahere concremavit. Ita demum Alenius, non solum extra periculum, sed & in magna apud primores gratia mansit Fokei: ita nova ibi statio Societati accrevit, quæ fuit inter Sinicas nona.

Non adeo leves opponerentur Evangelio obices in Cocincina. Ante biennium Rex, offensus quod illuc nulla appulisset navis Lusitanorum cum mercibus, ejici nostros, & remitti Macaum jusserat: quasi vero non alia quam commercii causa illos hæcenus tolerasset. Non propterea locum mutaverant Patres; sed gnari mobili ingenio esse regem, ac placatum iri navis Lusitanæ adventu, quæ propediem expectabatur, tantum agere cautius cœperant, & sine strepitu: quæ tamen res, ut plurimum incommodabat ipsis, ita progressum religionis non leviter retardabat. Accedebat huic malo paucitas operariorum, qui in tam ampla provincia censebantur haud plures quatuor, atque ex iis linguæ vernacula periti duntaxat duo, videlicet P. Pina, & P. Buzomius. His de causis omnium præses Pater Emmanuel Fernandez, missis aliis super aliis Macaum litteris, nova sociorum auxilia postulare institit, donec impetravit hoc anno, ut submitterentur in regionem alii septem de Societate, idest Gabriel Mathos, Gaspar Luisius, Antonius de Fonte, Alexander Rhodes, Emmanuel Gonzalez, Michael Maqui, & Dominicus Mendez, omnes, præter hunc ultimum, sacerdotes. Dux expeditionis Mathos, cui etiam injunctum, ut Societatis, & Ecclesiæ nascentis statum inspiceret in Cocincina. Commissum munus nec segniter, nec incuriose perfecit Mathos. Ac primo quidem Sinoam profectus ad Regem cum nobili Lusitano, qui Senatus Macaensis legatus erat, nullum officium prætermisit, quo gratiam Principis sibi & Patribus conciliaret. Evocatis deinde Faisonom sociis, de summa rerum in communi deliberavit. Multa in eo consilio sapienter decreta fuerunt, sed unum in primis. Onfaji, ut odiosum facerent Christi nomen, falso ac maligne spargebant in vulgus, Christianos nullam curam mortuorum suscipere, sed carissimorum quorumcunque capitum penitus oblivisci. Ad refellendam calumniam sancitum, ut exequiæ in posterum celebrarentur apparatu quam posset maximo, cum thure, facibus, lustralibus aquis, supplicationibus, & sacrificiis, ut solemnes Ecclesiæ ritus ferunt. Et quia Novembri mense, ob annuas ejus temporis eluviones, conventus multitudinis haberi non possunt in Cocincina, placuit diem peragendæ omnium defunctorum commemorationi destinatum prævertere duobus mensibus. Decretum in mores inductum est eodem anno. Ad præstitutam diem confluxere in templum neophyti summa frequentia, ac pa-

rentalia rite celebrare; quibus cum interfuissent magno numero etiam ethnici, fateri coacti sunt, christianis ritibus nihil fingi posse sanctius, nihil augustius; quodque falso percrebuerat, nullam apud nos vigere mortuorum memoriam, ex ipsorum animis deletum est. Post hæc adjecit animum Mathos, ut apte distribueret per Cocincinam socios, & opportunis in locis eos collocaret. Caciiani, ubi regis filius imperitabat, stabile esse jussit domicilium sociorum, quibus Pinam rectorem imposuit. Nuocmani, in provincia Pulicambensi, jam ante certam habebamus ac fixam domum. Huic addixit alios tres sub Buzomio. Ipse cum duobus aliis substitit Faisone in colonia Japonum, quæ tertia nostrorum sedes fuit in Cocincina. Quartam parabat constituere Sinoæ, quæ civitas est regia, & imperii sedes; & jam loquaptem invenerat Japonem, qui ad extruendam domum certum pecuniæ numerum representabat: sed opus prope inchoatum Rex, causatus nescio quas civium querelas, perfici vetuit. Quamquam vero tribus tantum in locis considerent Patres, inde tamen latius excurrebant identidem, neque solum ad pagos circumpositos, verum ad remotiores etiam provincias fidei lumen inferebant, ac piis laboribus aspirante gratia cœlesti, fruges non pigendas in Christi horrea convehebant. Ethnicorum mille ducentos triginta tres ad Christum labor hujus anni traduxit, cujus summæ fere dimidium pertinuit ad domum Pulicambensem. Sed ne solus in pretio esse numerus videatur, quales formarentur Christiani, cujus pietatis atque constantiæ, in uno alteroque exemplo videamus.

Erat Nuocmani Mandarinus inter præcipuos ejus ordinis, Andreas Ondalymbajus nomine, quem anno superiore lenta tabe deficientem baptismus sanaverat, præeratque exactoribus vestigialium, quæ quotannis in regium ararium inferenda colligebantur. Vir fidei ardore succensus, adeo non occultabat quam recens profiteri cœperat Christi legem, ut imo non alio magis quam Christiani nomine gloriaretur, captaretque occasiones omnes ostentandæ palam professionis suæ, ut videre præsertim licuit in una re, quam ad specimen cætarum subjicimus. Solent regii exactores in Cocincina, cum pecuniæ ex tributis collectæ præfecto tradendæ sunt, rem istam agere perquam magnifice, & cum ingenti celebritate, cujus initium ab idolorum cultu sumunt. Erigunt ad hunc usum profanas aras in medio foro, multitudinem convocant, adhibent sacrificulos, falsis numinibus libamina & preces offerunt. Andreas primam pecuniarum collectionem ritu longe diverso celebravit. In forum venit equo sublimis, præeunte sub umbella puero eleganter induto, & imaginem Christi reparatoris præferente in tela depictam. Ibi, professus coram tota concione, se uni cœlorum regi divinos honores solvere, nec quidquam rei habere velle, cum dæmonum formis, aram ornatissimam parari Christo jussit e regione idolorum, quibus deinde obverso per contemptum dorso, stetit defixis in illam oculis, donec solemnem ceremoniam peracta est. Neque id satis. Pecuniam delaturus maritimo itinere ad regem, navim ornavit vexillo crucis splendidissimo, ut omnes intelligerent Christianum vehi: nec proinde apud barbarum, quod aliqui fore suspicabantur, offendit. Pari virtute spectabatur Caciiani Paulus Xabinus, duorum annorum neophytus, idem Mandarinus nobilis, & regio Principi intime familiaris. Hunc, tametsi aperte Christianum, Rex Cocincinæ legatum suum destinaverat ad Regem Siamensem: in quibus enim negotiis fides atque integritas desideraretur, ea ajebat nemini melius tutiusque committi, quam Christiano. Legationem gessit Paulus fide ac solertia tanta, ut reducem Rex exceperit amantissime, & eundem illi honorem destinaverit in annum proximum. Sed hoc ad rem nostram parum, aut nihil pertinet. Multum vero interest scire, quæ de ipsius itinere litteræ tradunt. Solemne est Cocincinensibus, prius quam mari se committant, deos littorum sacrificio placare, quod nisi fecerint, certum naufragium ominantur. Ab hac superstitione Paulus abstinere jussit quotquot eadem vehebantur navi, negans alium esse deum, præter summum cœli terraque conditorem, a quo expectan-

182.
Tres constituuntur Societatis sedes in Cocincina.

183.
Fructus hoc anno collecti.

184.
Cujusdam Neophyti pietas memorabilis.

185.
Simile exemplum alterius ad regem Siamensem legati.

etandum esset auxilium. Partem puppis, a reliqua disclusam navi, composuerat in facelli formam. Huc se certis quotidie horis ad orandum recipiebat. Cum se dabat in publicum, loquebatur ut plurimum de re christiana, de vero, unico, ac summo Deo. Coorta erat tempestas adeo gravis, ut omnes fracto gubernaculo salutem desperarent. Vociferantibus ethnicis, & suorum numerum opem rogantibus, compefcuit Paulus insanam turbam, Christianos insistere precibus iussit, ipse suo inclusus facello flagris se diu acriterque concidit: mox in apertum progressus, objecit spumanti pelago frustulum sacrati cerei, cujus contactu detumuit momento fluctus, periculum discussum est. Periculum alterius generis Deo protegente evasit, cum rediret in patriam. Duæ pariter naves e Siamesi portu vela fecerant. Una a Batavis capta est; quam vero ipse conscenderat, terram incolumis attigit. Hac de re Paulus gratias egit ingentes Numini, non tam sua, quam christiani nominis causa: si quid enim adversi contigisset, id procul dubio gens auguriis dedita sequiorem in partem interpretabatur, vertebatque in odium religionis. Sua demum legatione perfunctus, a publicis privatisque curis feriari tantisper cupiens, Caciæni hospitium sumpsit in domo Societatis, ac totos octo dies sacris B. P. Ignatii commentationibus dedit, in quo pio secessu non est facile dictu, ut christianæ perfectionis studio exarserit. De divinis tantum rebus sermones miscebat. Angebatur, obstare matrimonii vinculum, ne totum se divino consecraret obsequio. Ne a meditatione celestium avocaretur, statuerat altiore dignitatem ultro delatam respuere, faciebatque, nisi hanc illi mentem exemissent Patres spe boni majoris. Usque adeo a terrenis fluxisque hujus vitæ bonis mentem abstraxerat is, qui vix duos ante annos genio tantum, & innatis cupiditatibus more ethnicorum indulgebat. Similia haberem dicere de aliis neophytis bene multis, qui etsi recens in Christi militiam coopatati, & adhuc, ut ita dicam, a baptismo madidi, virtutem tamen præferebant robustissimam, & veteranorum militum laudes æmulabantur. Sed quæ attuli exempla, satis puto erunt ad faciendam conjecturam de cæteris: & nimius sum, si velim singula diligentius persequi.

186.
Qui novo pietatis ardore incalcescit in exercitiis spiritualibus.

187.
Luctuosa mors, & elogium P. Francisci Pinæ.

Fine anni gravissimum vulnus accepit missio Cocincinensis obitu P. Francisci Pinæ, cujus desiderium viri, satis per se acerbum ac luctuosum, oneravit incredibiliter genus mortis miserum & inopinatum, quo abreptus est. Venerat missu regii Principis ad navim Lusitanorum stantem in anchoris e regione Caciæni, indeque sub vesperam revertebatur in portum. Dum fertur pelago tumidiore, navicula procellæ exorientis impressionem non ferens, eversa est. Pina in aquas effusus, summa vi lacertorum conabatur enatare in litus: at immensas undarum moles duabus circiter horis eluctatum, defecerunt ad ultimum vires, fluctus absorbit. Cadaver eadem nocte in litus ejectum, exceptumque cum honore a Christianis, Faisionem infertur. Vix illud nostri composuerant in sandapila, cum exciti lacrymabili nuncio neophyti Caciænienses, accurrerunt ingenti numero viri simul ac feminae, & quasi communem amisissent parentem, omnia questu ac lamentabili comploratione impleverunt. Ut factum dolori satis, ad funus cohonestandum omni officiorum genere certatum est. Alii scrobem effodere, alii purgare ab æde sacra usque ad cœmeterium viam, alii pecunias pro sarcophago corrogare. Feretrum viginti ex primoribus, suppositis humeris, ad sepulchrum deportaverunt, ubi post paucos dies modicum facellum a christianis fuit extractum. Natus erat Pina in Lusitania. Obiit in ipso ætatis robore, annum egressus vix quadragesimum. De ejus laudibus nihil amplius dicam, nisi quod magnitudine animi, peritiaque morum & linguæ Cocincinensis, natus factusque videbatur ad fidem in eo regno disseminandam. Talis jacturam viri gravem sibi accidisse affirmavit Rex, nec distulit de tam luctuoso eventu Gabrielem de Mathos visitatoreu consolari per internuncios ad eum missos. At quo animo barbarus officium istud verborum peregerit, ostendit ipse mox facto non minus subdolo, quam iniquo. Eadem die de-

188.
Edictum Regis christianæ rei damnosum.

denunciavit Patribus, ut ex suis singuli stationibus convenirent Faifonem, nec deinceps per vicus pagosque ad promulgandam Christi legem excurrerent, permittens cateroqui ut eam Faifone traderent, tum civibus, tum peregrinis. Ut id ita decerneret causabatur suam erga ipsos benevolentiam. Incurrisse nimirum Patres multorum odia, verendum esse ne per diversa vagantes loca a malevolis opprimerentur. Hac honesti specie improbus inclusam sinu perfidiam occultare studebat. Verum quæcunque obtenderet, plus nimio constabat de ipsius animo a christianis sacris abhorrente, nostris autem hominibus vehementer infenso: nec latebat quæ ipsum causa tantopere exacerbasset. Elephantia cum laboraret, remedium flagitaverat a Patribus, quo molestam depelleret impetiginem, & maculosum corpus a scabie mundaret. Eorum unus, qui medicinæ peritus habebatur, profuturum promiserat usum thermarum, si tamen Christum veneretur, & sacram illi ædem voveret. Monenti Rex morem gesserat, at nullo successu. Jam ergo iratus ob eam rem, inopia Numinis adscribebat quod non, ut speraverat, convaluisset; Patres vero ipsos ut deceptores, ac nugaces homines averfabatur. Documentum Evangelii ministris utile, ne cui temere spem objiciant ullius humani commodi præter naturæ ordinem impetrandi. Cæterum illa regis denunciatione non ita territi sunt Patres, ut loco cedendum existimaverint. Tantum rem gerere cautius, ac minimo strepitu cœperunt. Et iis quidem, qui Caciani morabantur, causam honestam remanendi obtulit acerba mors Patris Pinæ. Nam cum luctus mortuorum in Co-cincina produci a propinquis soleat usque ad centum dies, facile impetraverunt a regio Principe, ne ante hoc tempus solum vertere cogerentur: quo numero dierum expleto, nemo eos ad abeundum compulit.

Dum hæc ibi agebantur, in Japonia, exhaustis pene omnibus tormentorum formis, cessatum paulisper fuerat ab exagitandis perquirendisque christianis. Apparebat tamen, implacabiles huic esse nomini utrumque Imperatorem, patrem, ac filium, & qualescunque darent inducias, numquam plane quieturos, nisi invisam religionem funditus evertissent. Id, ut alia præteream, indicabant assiduæ & acres curæ, ne quis religiosorum furtim in eas terras obreperet. Huc namque reciderant denique post varias deliberationes aula consilia, ad convellendam religionem arcendos esse ejus doctores, tollendos pastores ad gregem penitus dissipandum. Appulerant hoc anno Nangasachium quatuor Lusitanorum naves Macao, & Manila totidem Hispanorum, ut suas singuli merces commutarent. Gubernator Nangasachiensis omnibus acerbum se præbuit, sed non eodem modo. Lusitanos militibus in naves immixtis tradidit custodiendos, donec singulorum ad se delata essent nomina. Apertis deinde, ac curiosissime perquisitis eorum sarcinis, cum nihil esset repertum quod ad cultum christianæ religionis pertineret, eosdem passus est in terram exscendere, hac tantum imposita lege, ne hospitium sumerent nisi apud ethnicos: quod si cui minus placeret, is neque de navi egrederetur, neque mercium permutationem faceret. At Hispanis negata præcise facultas est exscendendi: apposita statio militum, ne quemquam egredi sinerent, objectumque ipsis editum anni præteriti, cujus si nondum essent notitiam assecuti, scirent, suæ genti interdictum esse Japonia sub pœna capitis. Postremo discedentibus diserte denunciatum, si qua deinceps navis ex Philippinis insulis adveheretur, id vectores capite luituros. Adeo barbaris suspecta erat Hispanorum potentia. Quos nimirum videbant tot America Asiæque regnis paulatim potitos, hos ægre ferebant vicinos in Philippinis insulis, hospites omnino ferre non poterant. Metuebant ne obtentu religionis rem Japoniæ summam ad se traherent, & succedentes sacerdotibus milites imperium suo regi subjicerent. Aliarum gentium exempla Imperatoris menti oberrantia, eum dies ac noctes, ut est regnandi cupido impotens, angebant. Non ignorabat Roma de his Japonum suspicionibus, proptereaque sapienter olim a Romanis Pontificibus cautum fuerat, ne in Japoniam solverent missionarii, nisi Macao: quæ lex quamdiu

Tō. I.

Iiii

va-

189.
Quid regis animi alienaverit a rebus nostris.

190.
RES JAPONIÆ.
Summæ adhibentur curæ ad arcendos divinæ legis doctores.

191.
Japonum suspensiones ne Hispani Japonia potirentur.

valuit, res ibi christiana etsi fluctuaverit paululum, nunquam tamen iis jactata est procellis, quæ non possent gubernaculo superari. Verum ubi religiosi passim illuc ex Philippinis navigare cœperunt, ea res veterem refricuit metum, iramque Imperatoris armavit ad tuendam libertatem & regnum cum exitio religionis, cui subesse fraudem & iniqua consilia existimabat.

192.
Pericula nostrorum, labores, & res gestæ.

193.
Necantur quatuor christiani. Plures a fide deficient.

194.
Unius supplicium atrocissimum, & mira constantia.

195.
Unius supplicium atrocissimum, & mira constantia.

In hac temporum atrocitate omnia fiebant Patribus Societatis in dies duriora. Supererant tantum socii quatuor supra viginti, per universam Japoniam distributi, in latebras abdit, nec prodire umquam audentes, nisi multa nocte, aut cum densus imber, & hiberna nix paulum exploratores arcebat. Tamen favente hieme, qua tempestate viatores incedere per Japoniam coopertos, ac ferme ignotos alibi dicebamus, totam hoc anno obierunt insulam novem regnorum, quam Saicocum Japones, nostri frequentius Ximum appellant, idque per incredibiles viarum asperitates, & hospitiorum incommoda, ut opinari pronum est. Nam si quod exstaret recepti sacerdotis indicium, continuo quæstiones instituebantur acerbissima, nec ea tantum domus, in qua repertum esset indicium, sed octo, decem, aut plures fisco addicebantur, perfodiebantur muri, eruebantur pavimenta, ædes interdum integræ solo aquabantur, ut si qui intus laterent, in ipsis ruderibus ac ruinis sepelirentur. Demum familiæ totæ in vincula rapiiebantur. Hæc omnia prohibere non potuerunt, ne nostri in ea quam dixi circuitione ethnicos ad mille ducentos salutari fonte respergerent, præter infantes. Plures etiam ex neophytis, quos superioris anni terror afflixerat, iterum erexerunt, plures in fide vacillantes confirmaverunt. Disrumpabantur gubernatores civitatum, & provinciæ præfecti: sed dissimulare cogebantur vel invit, ne simul cum religione extinctas urbes, suasque regiones depopulatas, ac vastatas cernerent. Quod si pari cura omnes Evangelii præcones sua obire ministeria clam & occulte studuissent, nihil fortasse sanguinis fundebatur hoc anno. At in tractu Omurano Religiosus haud ita pridem Japoniam ingressus, dum sui securior sacra parum caute administrat, gravius irritavit regionis præfectos, quam ut taciti ferre possent, aut vellent. Mittuntur e vestigio satellites qui regis edicta contemnentes intercipient. Cum ipse celeri fuga evasisset in tutum, capiuntur ejus hospites, viri omnino quatuor, & securi percutiuntur. In quo illud accidit lacrymabile, quod unus in iudicium religionis adductus, ut vitam redimeret, Christum turpiter ac flagitiose deseruit, & nihilominus ob hospitium sacerdoti præbitum, abscessis cervicibus poenas dare iussus est, non susceptæ religionis, sed legis violatæ. Similis perfidiæ exempla extiterunt in tractu Omurano quam plurima, & maxime miseranda. Nam cum late rumor increbuisse, fame perimendos esse christianos, dum alii aufugiunt, alii annonam recondunt, alii ad quascunque minas intrepidi beatam opperiantur necem, multos tam foedi supplicii metus prostravit. Quinque integri pagi ad cultum idolorum relapsi sunt, saltem externe, ne inopia rerum perire cogentur. Hanc ignominiam delevit ex parte unus masculula virtutis constantiaque vir, in quo cruciando novæ & inusitatae artes adhibitæ fuerunt frustra, æstusque frigori, & nives flammis conjunctæ. Thomas Suquezayemon appellabatur, natus in provincia Yamata. Nuper cum venisset Tavacovam regionis Tzugarenæ caput, virtute patientiaque neophytorum fidei causa exultantium captus, eam omnino legem putavit esse divinam, quæ tales haberet cultores. Adscriptus itaque eorum numero, & vitam fidei susceptæ consentaneam exorsus, christianos qui in vinculis erant adibat assidue, sublevabat, fovebat, & ex ethnico recenti propemodum Apostolus, divinam ubique legem libere prædicabat. Non diu dilata virtuti tam eximia merces. Ut in manifesto tenebatur crimine contemptæ legis contra christianos editæ, mori jubetur in ardente pyra, nisi Christum deserat. Sententiam cum risu exceptit fortissimus pugil, quasi irrogari sibi puerilem poenam, nec satis viro dignam audiret. Furere iudices listoresque, id agere, ut risum mutare lacrymis cogeretur. Paratur in patenti campo stipes sublimis, struæ lignorum circum aggesta.

gesta. Thomas ad stipitem alligatur. Ut lentius arderet, fimum carniſeres impii super ligna comportant, quem deinde multa contegunt nive. Ipsum quin etiam martyrem onerant glacie, quæ sensim liqueſcens, & flammam subinde extingvens, auget cruciatum & produceret. Jam ignem materiæ subiciebant, cum præſes Thomam suo compellans nomine: *Adhuc*, inquit, *venia locus est: Christum abnega, & vive*. Ter idem monuit frustra: postremo rogam succendi iussit. Reluxit micans flamma inter immensos fumi vortices, qui ardoris vim mitigantes, supplicium extrahebant. Aderant liſtores, atque ubi glacies soluta defluerat, novam usque usque congerebant. Populus ad novi formam supplicii obmutescere: probra deinde jacere in martyrem, stultum ac male sanum dicere, nisi respiceret se in tempore, ac negato Christo viveret. Subiit denique admiratio virtutis, quodque ab ethnicis expectandum non erat, coortus undique ingens clamor sacra Jesu & Mariæ nomina ingeminantium. Ad has voces velut evigilans Thomas: *O suavia*, inquit, *o celestia, & divina nomina!* in eaque voce animam profudit vi. Cal. Januariæ. Hæc in Japonia.

De Philippinis Insulis, ad quas modo progredimur, non possumus nisi pauca dicere monumentorum inopia, quæ tempore de quo scribimus, vel pauca confecta sunt; vel forte aliquo casu perierunt. Manilæ hoc anno sanctum invenio, ut in postero dies anniversaria SS. Ignatii & Francisci Xaverii festorum solemnibus coleretur. Exstat hac de re edictum Archiepiscopi Manilensis, servaturque cum eo libellus supplex, quo Senatus civitatis Archiepiscopum ad id decernendum impulit. Eo libello Senatus proferebatur, multa & maxima esse commoda, quæ hætenus ab hominibus Societatis accepisset civitas Manilensis. Rogabat proinde, hanc qualemcunque gratiam referri eorum conditori, ac parenti sanctissimo Ignatio. Ut idem honoris decerneretur etiam Xaverio, hanc afferebat causam, quod omnium primus in Mindanaum (una est ex insulis Philippinis) lumen Evangelii intulisset. Decretum Archiepiscopi excepit ingens tota urbe lætitia, cujus non una edita sunt privatim ac publice signa. Duo tantum fuerunt conjuges, qui partem sumere in communi gaudio recusarunt, nolueruntque perinde ac ceteri faces nocturno tempore exponere per fenestras, propterea quod nostros homines male de se meritis dicerent: & notatum est, eos intra paucos menses repentina morte interiisse, forte ob negatum contumaciter honorem superis, quorum multo est conditio sublimior, quam ut participare unquam debeant de mortalium invidia. Eodem anno publicata sunt Manilæ diplomata Gregorii XV. Pontificis, ac Regis Catholici Philippi IV., quibus rectori collegii Manilensis jus tribuebatur constituendi artium liberalium, & sacre theologiæ doctores. Res accidit, non tam collegio nostro honorifica, quam grata civitati, & studiosæ juventuti commodissima. Nam ante hoc tempus, si qui gradus litterarios consequi vellent, ii cogebantur in Europam, vel certe in Americam magnis sumptibus navigare. Nec minus interea commodum accidit Cavitenſibus, quod nova inter eos constituta fuerit curia, & Societati commissa. Portus Cavitenſis negotiatoribus omnium fere linguarum frequentari solitus, colonis præterea, militibus præſidiariis, ac nautis plenus, ut plerumque usuvenit in ejusmodi hominum multitudine, non minus vitis abundabat, quam mercibus. Stationem ibi fixam habebat a multis annis Societas, sed pene inutilem: adeo arduum erat malis mederi inventeratis ac publicis, eosque ad officia pietatis adducere homines, qui metiri quaestu solerent omnia. Casu factum est, ut loci pastor vacuam illam sedem relinqueret. Dum quaeritur successor idoneus, & decessore melior, placuit Archiepiscopo adesse tantisper ipſius loco Patres Societatis, & sacrarum rerum administrationem gerere. Gesserunt ad aliquot menses, ac brevi secuta est morum tanta conversio, ut ipsi se mirarentur incolæ, pietati jam modestiæque dediti, qui antea vitis omnibus disfluebant, aut solis augendæ rei curis distinebantur. His rebus cognitis, instabat apud nostros Antistes, ut procuratio-

To. I.

Iiii 2

nem

195.
RES PHILIPPINARUM.
Augetur Manilæ cultus SS. Ignatii & Francisci Xaverii.

196.
Jus creandi doctores collegio Manilensi datum.

197.
Nova Cavitenſis curia Societati committitur.

nem eandem perpetuo retinerent. Id illi cum negarent posse fieri, obtenderentque non solere Societatem tale munus admittere, nisi inter neophytos; Præsul, ut rem optatissimam salvis Societatis moribus & institutis perficeret, exemit e Cavitenſi territorio pagos neophytorum duos, quos Cavitem veterem nuncupari jussit, institutamque ex iis novam curiam sacerdoti Societatis in perpetuum administrandam commisit.

198.
Obitus & elo-
gium P. Joannis
Torres.

Non defuerunt provinciæ Philippinensî funera, tunc quidem excepta lacrymis & mœrore, nunc vero ad nostram utilitatem in memoriam revocanda. Manilæ finem vivendi ac laborandi fecit P. Joannes Torres, natus Montilii in provinciâ Bætica, unde translatus fuerat in Philippinas ante annos undetriginta. Primus omnium Boholenses adiit, vel certe inter primos, gentemque natura ferocem, moribus agrestem ac barbaram, paulatim devinxit sibi, mitigavit, erudiit, ac demum Christo subjecit. Quis vero labores eo in opere exudatos explicet satis? Conquirendi erant per saltus invios, per ferarum spelæa feris quam simillimi homines, tranandi sæpe annes rapidi torrentesque, sæpissime per abruptos & confragosos montes manibus pedibusque reptandum, semper inter insidias & vitæ pericula suggrediendum. Ab insula Boholensium accitus devexa jam ætate, & viribus parum firmis Manilam, ibi quod reliquum fuit vitæ uti veteranum Christi militem decebat, posuit, mutatis laboribus, sed non intermissis, aut imminutis. Quin illa ætate ausus ad perdiscendam linguam Tagalarum adjicere animum, vi charitatis ingenium acuente tantam ejus peritiam est consecutus, ut commode loqueretur. Et constitit suum labori pretium. Nam cum Episcopus Caceresia, ut alibi narratum est, Societati regendam tradidisset Bondocensium montanorum curiam, minime dubitavit Torresius eo proficisci, ubi barbaros docendo hortandoque intra breve tempus ex belluis homines, ex hominibus christianos probos ac bene moratos fecit.

199.
Cruenta mors
& elogium P.
Joannis a Missis.

His de causis gravis provinciæ accidit Torresii jactura. Plus tamen acerbatis habuit cruenta mors P. Joannis a Missis, patria Manilensî, quem Camuxones odio christianæ fidei crudeliter interfecerunt. Natio piratarum erant Camuxones, Bissajis Tagalisque semper infesti, gerebantque præsertim inexpiabile cum neophytis bellum ob religionis discrimen, quippe secta Mahometani. Eorum manus nefaria, in insulam Samariensium egressi v. Idus Novembris, multos oppreſſerant prope Catabalagonem, vastaverant agrum, adem sacram neophytorum diripuerant hostilem in modum. Denique conscensis iterum navibus revertebantur ad suos, & avehebant prædam: cum ecce tibi ex adverso actuariolum Marinduquense, quo P. Joannes cum paucis neophytis obibat insulam, ut disperſo late gregi salutis æternæ præsidia circumferret. Agnovere sacerdotem christianorum prædones impii. Nec mora. Tanquam pugna signo proposito, certatim expediunt arma, adoriuntur inermem cymbam, vectores nihil tale metuentes densa missilium grandine appetunt. P. Joannes jaculo transverberatus concidit statim, cum eoque plerique comitum conciderunt. Qui reliqui erant, eos potiti navigio hostes crudeliter trucidaverunt. Cadavera projiciuntur in littus, excepto nostri sacerdotis capite, quod ab humeris revulsum inhumani latrones abstulerunt, ut ejus calva uterentur pro patera in suis orgiis. Hunc habuit vitæ exitum Joannes a Missis, de quo aliud nihil litteræ tradunt, nisi fuisse olim collegii Manilensî alumnum, inde in Societatem transiisse, virtute ac litteris floruisse. Caterum non impune abierunt

200.
Auctores ca-
dis pœnas ulto-
ri Deo persol-
vunt.

scelesti interfectores, nec eos pœna rapinarum ac cadium claudio secuta est pede. Profugos celeriter insectati cum armatis aliquot lembis præſidiarii milites arcis Othonianæ, quamquam ipsos assequi non potuerunt, excensione tamen in eorum terras facta, regionem omni belli clade vastarunt: succenderunt lucos, profana Mahometis delubra prouerunt, magnam captivorum numerum cum eorum antistite in servitutem abduxerunt, Neque id satis. Post vastatam ferro flammaque regionem, dum sua repetunt onusti spoliis navigia, haud procul in littore jacentia passim vident hominum cadavera insepulta.

Mi-

Mirantur, quærent quorum illa sint corpora, quis auctor cædis, quæ causa fuerit? Qui aderat gentis sacrificulus, latrones eos esse respondit, qui nuper in insulam Samarium prædabundi irruerant. De cælo repente tactos concidisse, cum maxime successum expeditionis suæ læto convivio celebrarent, & sublatis e christianorum templo calicibus sibi invicem propinarent. Addidit, tam terrifico casu metum ingentem popularibus injectum esse, nec facile inventum iri posthac, qui violare sacra christianorum auderet. Hæc ille: ex quibus licuit agnoscere, etiam si triumphare videantur interdum improbi de innocentibus; eos tamen serius ocyus poenas ultori Deo perfolvere. Sed narrationem transferamus in Americam.

Angelopoli in provincia Mexicana novum Societati collegium hic annus addidit, atque hæc fuerunt initia. Episcopus ejus urbis Alphonsus de Motha consilium susceperat parandi sibi presbyteros copia doctrinæ, & morum integritate præstantes, quibus posset curam sui gregis tuto committere. Hæc cogitanti nihil occurrebat opportunum, quam si conderetur ibi collegium Societatis, in quo liberales artes, & theologiæ præcepta traderentur. Esse nimirum Angelopoli, & in amplissima diocesi plurimos bonæ indolis adolescentes, sed inopia retardari plerisque, ne Mexicum ad hæc discenda transirent; & etiam si ad iter suppeterent opes, eorum institutionem multo commodiorem in patria, quam procul ab oculis parentum suorum fore. Obstabat illa duntaxat res, quod placuerat Regi, in tota quam late patet nova Hispania non aliam esse academiam, sive, ut nunc loquimur, studiorum universitatem, præter Mexicanam, in qua honores litterarii non tribuebantur iis, qui alibi consueta studiorum spatia confecerant. Quare Archiepiscopus hoc primum obtinuit a Rege, ut quicumque Angelopolitanas frequentassent scholas, in petitione honorum perinde haberentur, ac si Mexicanas adissent. Tum operi præcipuo manum admovens, struxit in usum Societatis magnificentum domicilium ac templum, collegiumque rite conditum apto censu dotavit. Atque id actuum ejus fuit extremum. Nam paulo post, ætate licet devexa annorum octoginta longum iter ingressus ad lustrandam de more diocesim, morbum contraxit gravem, quo coactus in urbem regredi, naturæ concessit Idibus Martii. Mortuum fleverunt nostri lacrymis non minus veris, quam multis, cum ob privatum damnum, quod in tali rerum suarum patrono fecerant, tum quod carebat ea diocesis pastore optimo carissimoque, cujus desiderium nulla temporis longinquitate leniendum videretur. Natus erat Alphonsus Mexici, patre Hieronymo Ruizio de Motha, viro nobili æque ac magnanimo, qui unus fuerat ex commilitonibus Ferdinandi Cortesii in expeditione Mexicana. Prius quam ad Angelopolitanas insulas assumeretur, Pontificatum gesserat Ecclesiæ Guadalaxarensis cum tam eximia opinione virtutis, ut de eo Philippus II., princeps præmiorum alioquin largior quam laudum, ad Clementem VIII. ita scriberet. *Perspectam sibi ac probatam esse Alphonsi vitam, exempla, doctrinam, & singularia demum beneficia, quæ ad illud usque tempus contulisset Ecclesiis in quibus publicum munus administrasset.* Quam obtinuerat prius laudem, mereri non desit Angelopoli. Latissime patet ea diocesis: porrigitur quippe a sinu Mexicano, quo alluitur ab oriente, usque ad oceanum pacificum, quo clauditur a meridie. Totam Alphonsus semel, iterum, ac tertio obivit. Quis jam summam ducat pecuniarum, quas vel in subsidia pauperum, vel in sacram omnis generis suppellectilem, vel in alios usus pios impendit? Sexaginta millibus aureorum æstimatur vestigal annuum Ecclesiæ Angelopolitanæ. Ipse de tanto proventu nihil sumebat sibi, nisi quod ad tuendam gradus sui dignitatem necessarium videretur. Reliquum in alimenta pauperum liberaliter erogabat. Præter nostrum quod dixi collegium, quinque monasteria pro sacris virginibus extruxit Angelopoli, attributo singulis censu annuo aureorum ter mille, ne quid virgines ab externis corrogare unquam cogerentur. Plura non dicam, ne sim prolixior: quæ tamen indicavi, satis puto erunt ad memoriam

201.
RES
MEXICANÆ.
Fundatur collegium Angelopoli.

202.
Mors Episcopi fundatoris, eiusque virtutes eximia.

riam viri de nobis, ac de republica præclare meriti. Sepultus est in æde nostra, seu verius sua, quam nempe ipse a fundamentis crexerat, & a S. Ildephonso nominaverat.

203.
Dira fames in
Cinaloa, no-
strorum labor
infolitus.

204.
Divina in et-
hnicum miseri-
cordiæ exem-
plum insigne.

205.
Apostolici la-
bores P. Joannis
Davali.

206.
RES PERUANÆ.
Nostrum Limen-
sem dioccesim
obcunt.

Eodem anno in Cinaloa novas christianorum colonias gravissime afflixit inopia annonæ, cujus causa dispersi multi, multi fame consumpti sunt, desiderati ferme octies mille & quingenti. Quantum inde laboris accesserit nostris earum gentium pagos administrantibus, facile quivis cogitatione assequatur. Sublevandis aliorum arumnis ita se impenderunt, ut fere omnes lathaliter ægotaverint. Quocunque tamen morbo gravior angebat illos cura, ne tam dira calamitate turbarentur recentes adhuc a superstitione mentes neophytorum, & occasionem inde sumerent ad morem vivendi pristinum revertendi. Nec vero defuere venefici, qui rudi populo in aures infusurrarent, ita plecti gentem, quæ patria numina deseruisset, & peregrinum amplecti Deum maluisset. Sed mature detectis impiorum molitionibus, occurrerunt periculo Patres, & labantes animos in fide continuerunt. Simul opportune res accidit ad memoriam insignis, quæ Patrum conata plurimum juvit. Hanc nos uti tradita est referemus, nec aliud modo præsumur, nisi profunda esse Dei consilia in eligendis ad baptismum hominibus, ejus vero misericordiam supra humanas omnes cogitationes longissime eminere. Unus quidam ethnicorum, quem ad nostros traxerat exæstus animo desiderium baptismi, conspecta de qua supra dicebam clade neophytorum, persuaserat sibi, rem exitialem esse baptismum, seque illico moriturum, si ablueretur. Hac opinione occupatus, Patrum suasiones & monita contumaciter respuens, aufugere procul statuit, & in abdita montium se recipere. Reipsa fugiebat, ac saltus invios agente demone pererrabat: cum correptus gravi morbo concidit, vel mortuus, vel certe sensibus ita captus, ut a mortuo nihil differret. Mortuum crediderunt indigenæ, ad quos erat digressus. Itaque pellibus involutum more patrio parabant humi condere. Dum effertur, fausto nescio quo casu effectum est, ut in ea penetraret loca noster sacerdos, atque idem prorsus, quem sæpe miser ethnicus de virtute baptismi disputantem audierat, semper repulerat. Accurrens ad lugubrem apparatus sacerdos, deponi corpus, & involucris eximi jubet. Agnoscit divinæ gratiæ profugum contemptorem, lacrymas ubertim fundit, hominis lacrymabile infortunium multitudini circumfusæ, ac pariter comploranti narrat. Tum arcano quodam instinctu percitus, mortuum magna voce compellans, effari palam jubet quid ipsi acciderit. Ille, mirum dictu! sive sensibus tantum, sive etiam vitæ redditus: *Pater*, exclamat, *te fugiens, in hæc loca secessi. Ne quaeso cessa baptismum mihi impertiri. Circumstant silvestres canes ore rabido, ac ferociter allatrant. Miserum me, nisi statim baptismum abigantur!* Attonitis ad ea cunctis, & miraculo obstupescitis, sacerdos hominem ad baptismi fructum percipiendum rite præparat, eodemque in loco baptizatum appellat Bonaventuram. Ecce autem novum divinitus beneficium. Convaluit momento neophytus, vel corpori salutarem expertus baptismum, quem errore malo noxium & lathalem putaverat. Hac in Cinaloa. In aliis provinciæ Mexicanæ partibus celeberrima hoc anno fuerunt apostolica excursionis P. Joannis Davali, quem inter præstantissimos ejus agri cultores litteræ annales numerant. Egressus e collegio Guadalaxarensi, & millia passuum emensus fere septingenta, ministerium divini verbi late circumtulit. Audiebatur aviditate populorum tanta, ut a duodecim & amplius passuum millibus concursus hominum fierent ad concionantem. Inter perorandum miros animorum motus ciebat, nec fere descendebat e suggestu, quin circumfisterent plurimi catervatim, seque illi pro confessione audiendos offerrent.

Sed operariis Societatis amplissimam per hoc tempus agendi materiam præbuit in provinciâ Peruana novus Limensis Archiepiscopus, Gonzalus de Campo, qui ineunte anno venerat ex Hispania ad ineundam possessionem Ecclesiæ suæ. Vix appulsus Limam, inter primas initi pontificatus curas, popo-
scit

scit a Præposito provinciæ sacerdotes octo, quibus in cultu religionis propagando sociis & adiutoribus uteretur. Erat autem ejus consilium, ut obirent nostri curias extra urbem sitas, & amplissimam ubique potestatem in emendandis moribus exercerent. Verum illi, prolixè polliciti operam & industriam suam in ministerio sacrorum, ne reciperent jurisdictionem leges & instituta Societatis excusarunt. Quam excusationem probante Archiepiscopo, negotium ita compositum est, ut Patres comites se adjungerent visitoribus quatuor, bini singulis, cum iisque obirent diocesim. Obierunt per septem ipsos menses, labore quidem inmodico, sed æque frugifero. Nunquam ante hoc tempus neophyti illius terræ admissi fuerant ad perceptionem Eucharistiæ: invaluerat enim opinio, tales homines, utpote ingenio summe rudi atque habeti, minime esse idoneos mysterio tam sublimi, tam sancto, nec forte umquam fore. Patres nihilominus, collocata in singulis ubique curiis divina hostia, assiduitate doctrinæ perfecerunt, ut ejus participandæ capaces fierent bene multi, quibus reipsa impertiendam cum assensu Antistitis statuerunt. Id ut increbuit, dici vix potest quanto pietatis ardore mentes neophytorum incaluerint. Multi continuo nefarias abrumpere consuetudines, multi confessionem criminum a prima usque ætate repetere, omnes id agere certatim, ne tanto bono censerentur indigni. Unus quidam semper antea ebriosissimus, usu vini sibi penitus interdixit in posterum. Delecti fuerant initio pauci ex probatoribus, die præfinita, qua primum ad cœlestem mensam accederent. Ante hanc illi diem, in ædem sacram quotidie convenientes, tot se piaculis ac religionibus exercuerunt, tot, tam eximia signa pietatis ediderunt, ut his victi argumentis sententiam mutaverint ii, qui hætenus negaverant mysteriorum sanctitatem ejusmodi hominibus tuto posse committi. Porro ad fovendum augendumque inter neophytos sacrum ardorem, in curiis singulis instituta sunt piæ sodalitates, quæ ad venerationem & cultum Eucharistiæ præcipue spectarent.

Rebus ita gestis, cum Limanæ rediissent aliquandò Patres, Antistes suum per se inspicere gregem statuit, non tamen sine opera & societate nostrorum. Duos assumpsit nominatim Patres doctrina ac rerum usu præstantes, Michaelem de Salazario, & Ludovicum Feriel, hisque viâ comitibus, & consiliorum suorum moderatoribus, diocesim amplissimam ex magna parte peragravit, labore propemodum incredibili, quem tamen caritas animarum levem faciebat, earum vero utilitas dulci sensu lætitiæ aspergebat. Fuit ubi latentem adhuc labem antiquæ superstitionis detexit, ac prorsus extinxit. Alibi peccandi licentiam coercuit, simultates & odia sustulit. Ubique morem a nostris recens inductum tradendi neophytis Eucharistiæ, frustra quibusdam obloquentibus religiosi, ratum habuit, & exempli sui auctoritate firmavit. Quos sacro christinate initiavit, ad viginti millia numerati. Verum hæc leviora. In montibus, qui Limanam diocesim terminant ab oriente, nationes erant plurimæ barbarorum, Hispanis hætenus inaccessibleæ, & christiana religionis expertes. Eas Præsul ut ad Christum traduceret, Guanucum venit, extremum suæ ditionis oppidum, atque hinc per internuncium invitavit ad colloquium montanos proximos Panataguas. Adfuit gentis Casiquius cum popularibus triginta; atque ubi Archiepiscopum audit de christiana religione verba facientem, captus ejus benignitate ac promissis, primo se ac gentem suam Hispaniarum Regi tradidit in clientelam, confectis ea de re publicis tabulis, quæ coram testibus rite obfirmatæ fuerunt: mox christianam fidem cum reliquo comitatu, & baptismum accepit. Casiquio nomen Antonii inditum. Lætitiæ cumulum addidit insperatus adventus aliorum septemdecim de gente Charaguarum, baptismum pariter postulantium. Qui statim atque initiati sunt, obliti veteres ac fere inexpiabiles quas cum Panataguis gerebant inimicitias, reverentia communis religionis in pacem mutam consenserunt. Gestiebat incredibili gaudio Præsul, successum videns consiliorum suorum oppido lætum, ac faustum; neque distulit in paratam messem mittere operarios idoneos. Ad Panataguas ire iussit jam tum Pa-

207.

Neophyti
admittuntur ad
perceptionem
Eucharistiæ.

208.

Limanus An-
tistes diocesim
lustrat cum
duobus Patri-
bus.

209.

Panataguas,
aliosque barba-
ros pertrahit ad
baptismum.

210.
Dum cœpta feliciter promovet, moritur.

211.
Res gestæ in aliis provinciæ partibus.

212.
Gravissima calamitas Coloniæ Potosinæ ex eventu fortuito.

213.
Civitati opem ferunt homines Societatis.

Patrem Salazarium, cum Antonio Casiquio, cujus auctoritate facile adducendam putabat gentem, ut contra veterem vagandi morem coire in unum vellet, & conjunctis ædibus in posterum habitare. Simul a P. Gonzalo de Lira, tunc Peruanæ Societatis visitatore, par aliud sociorum impetravit, Rodericum Barrionovum, & Josephum Acoſta, qui succederent in eandem provinciam, & cœpta promoverent. At ulteriorem eventum Archiepiscopus haudquaquam vidit, morte superveniente prohibitus. Eodem quippe anno ad Guamaliensem præfecturam digressus, ibi piæ & ætuosæ vitæ finem invenit, altero sui Pontificatus anno nondum expleto. Quorsum deinde evaserint præclara illa rerum initia, ex nullis nostrorum litteris comperire potui.

In aliis interim provinciæ Peruanæ partibus multa fuerunt salubriter instituta. Limæ sancitum, ut intra duodecimum ab urbe lapidem excurrerent quotannis nostri operarii ad circumpositas villas Hispanorum, excolerentque divino verbo mancipia, quorum inveniebantur ibi multa magnæque familiæ in agrorum cultu occupata. Visum id necessarium ad villicorum salutem, propterea quod Africani erant omnes, plerique rerum divinarum profus ignari. In urbe Cuzco, quæ sedes olim Peruani fuit imperii, rector collegii nostri P. Franciscus de Contreras rem perfecit pauperibus optatissimam, & commodi non exigui. Publicum civitatis nosocomium, etsi peramplis quondam vestigialibus constitutum, paulatim humana vel fraude, vel incuria, ad eam devenerat inopiam, ut ægrotos aleret admodum paucos, quibus etiam necessaria maligne præbebantur. Eam rem pro merito dolens Rector, consilio cum civitatis primoribus communicato, sodalitiū instituit ex colonis triginta tribus, qui deinceps rem œconomicam nosocomii communi consilio regerent, curarentque. Ratum id esse jussit Prorex, & diplomate confirmavit. Atque ex eo tempore ita res floruit labantis domus, ut post paulo ægrotis subveniri benignius cœperit. Sensim procedente postmodum novæ administrationis utilitate, pro multitudine ægrotantium amplificatæ sunt ædes nosocomii, ac multum auctus eorum numerus, qui mercede famulabantur. Coloniæ Potosinæ gravissima hoc anno calamitas accidit ex eventu fortuito, in quo tamen cura nostrorum, ac diligentia non defuit. Potosium, ob celebres argenti fodinas, & fabricam argentariam, unum ex oppidis frequentissimis America meridionalis, jacet ad radices præalti montis, qua parte obvertitur orienti soli: nam extra hanc partem, si tamen vera narrant, pretiosi metalli venæ non inveniuntur. Tellus argenti ferax cum non habeat a natura decurrentium aquarum copiam ad agitandas machinas, quarum in argenti opificio multus est usus, ac fere assiduus; huic incommodo ut occurrerent incolæ, negatum a natura beneficium suppletentes industria, aperuerunt in ipso montis latere plures mirandæ magnitudinis lacunas, quæ colligunt continentque imbres large per hiemem decedentes. In his receptaculis servatur humor in usus annuos abunde suppetens, emissario, cum opus est, derivatur, & subiectas machinarum rotas impellit. Jam vero accidit, ut receptaculum omnium maximum, dirupto repente muro ingenti quo extrinsecus claudebatur, effunderet aquarum molem immensam, quæ per declive ruens in præceps, & obvia quæque cum horribili fragore, prosternens, oppidum fere omne obruit. Quam miseranda secuta sit clades, vix ego consequi verbis possim. Damna fortunarum qui minimi æstimarunt, fuisse affirmabant sexagies centena millia aureorum. Hominum mille & quingenti perierunt, pars eluvione abrepti, pars ruinis tectorum oppressi. In tanta, ac tam communi miseræ civitatis consternatione, cum omnia torrentium aquarum strepitu, & confusis pereuntium vocibus personarent, exilierunt propere nostri, & quaquaversus accurrentes, opem quam potuerunt maximam periclitantibus attulerunt. Alios inter aquas, alios inter ædificiorum rudera conquisitos in tutum eduxerunt, nonnullos semivivos jam, atque morientes expiarunt. Multis etiam ut amissa recuperarent auxilio fuerunt. Inveni namque, ut ferme usuvenit, ex ima plebecula homines improbi & rapaces, qui

cala-

calamitatem publicam verterent in occasionem prædandi, factique alieno metu audaciores, domos impune diriperent. Nostrorum ea clades neminem attigit. Notatum etiam, ex omni civium numero eos, quorum erat notior tota urbe pietas, incolumes fuisse servatos. Hispanus fuit gente Cantaber, qui salutem suam erga pauperes liberalitati debuit. Solebat vir pius quotidie mendicos aliquot intra domum admittere sub horam prandii, ut mensam reliquias absumerent, ac forte accumbebat mensam cum aliis pluribus, quo tempore exundantium aquarum sonitus audiri cœpit. Strepitu dissono atque horrendo commotus, surrexit statim, recepitque se in conclave proximum, ubi grex inopum, confidebat, sperans suos sibi pauperes, quodcunque instaret discrimen, præsidio fore. Non fefellit hominem sua spes. Abrepti sunt impetu profluentis convivæ reliqui: ipse cum turba pauperum per posticum evasit. Caterum etsi nullus sociorum per eam occasionem periit, decesserunt eodem anno plures intra provinciam, quorum erat vita magno usui, mors acerbissima accidit. Inter cæteros eminebat insigniter P. Ludovicus Bertonus, gente Italus, patria Firmanus. Venerat in Peruviam ante annos quadraginta quatuor, nec tam longo tempore ullam sibi requiem sumpserat a laboribus multis, & variis, quos pro salute animarum semel susceperat. Eum domestici ut virtutum omnium exemplar absolutissimum observabant, indigenæ veluti de cœlo missum hominem venerabantur. Non alio passim quam sancti nomine compellari solebat; cumque linguam indorum calleret ad miraculum, innumeros mortalium a vitiis ad pietatem per usitata ordinis ministeria traduxit. Obiit Limæ III. Nonas Augusti, anno ætatis septuagesimo tertio, initæ Societatis quinquagesimo. Idibus ejusdem mensis vivere desiit in domo probationis Limana Frater Didacus Alphonsus, adjutor domesticæ rei, ætate quidem adhuc junior, sed si virtutem spectes, emeritæ militiæ veteranus. Plura dicitur præter communem ordinem accepisse divinitus dona, quorum ipse duo confessus est in morbo extremo: alterum, innotuisse sibi certo mortis suæ diem multo ante quam agrotaret; alterum, sanctissimam Dei Matrem sibi nuper spectabilem adstitisse, ac spem minime dubiam salutis sempiternæ fecisse. Agebat cum mortuus est annum ætatis quadragesimum quintum, duntaxat sex in Societate confecerat. Atque hæc de rebus America meridionalis.

In septentrionali sita est terra Canadensis, seu nova Francia, de qua ego regione nunc primum scribere incipiens, nostrorum conatus ad restituendam ibi sacram missionem, quam duodecim ante annos Angli funditus proturbaverant, quam brevissime expediam. De situ, natura, moribus, & institutis Canadensium dicere superfedeo. Ut illuc introducta Societas ab Henrico IV., ut postmodum ab Anglis exacta fuerit, prolixè narratur in parte annalium quinta*. Henricus ergo dux Vantadorius, non magis avita nobilitate, quam christianis virtutibus tota Gallia conspicuus, cum multa de moribus Canadensium audisset a P. Philiberto Noyrotio, cui suæ conscientiæ arbitrium detulerat, incensus cupiditate opis alicujus afferendæ nationi barbaræ, ac fere omnibus sempiternæ vitæ præsidii destituta, curavit se proregem novæ Franciæ creandum, ut ea auctus dignitate majorem haberet facultatem tutandam in Canada religionis, ac propagandæ. Certiorem deinde consilii sui fecit P. Petrum Cotonum, provinciæ Parisiensis Præpositum, a quo ante annos quindecim jacta Canadica missionis fundamenta fuerant, se iturus in eam expeditionem. Patribus, quamdiu certum vectigal non haberent, alimenta de suo præbiturum promittens. Nihil accidere optatius poterat Cotonum, qui jamdudum vias omnes indagaret reponendi in statum pristinum operis a se cepti, & uberes olim fructus animarum daturi. Nulla igitur interposita mora, tres deligit egregios sacerdotes, Carolum Lalemantium, Joannem Brebeufium, & Enemundum Massæum (erat is regionis peritus, quippe antea profectus in Canadam, & inde ab Anglis pulsus), quibus addens duos rei domesticæ adjuutores, socios omnino quinque in novam Franciam transmittit. Vela fecerunt viri impigri VI. Cal.

Tō. I.

K k k k

Ma-

214.
Fructus benig-
nitatis in Pau-
peres.

215.
Mors & clo-
gium P. Ludoi-
vici Bertoni.

216.
Et Fratris Di-
daci Alphonsi.

217.
Patres Galli
missionem Can-
adensem in-
staurant.

* Lib. XV.
n. 33.

Majas, hoc ipso anno vertente, ac prospera navigatione usi, Quebecum, oppidum regionis primum, altero post mense tenuerunt. Ac Brebeufius quidem continuo barbaros per inuia nemorum, & abrupta juga montium, quocunque suo vagarentur more, sequi constituit, tum ut gentis cognosceret indolem, tum ut linguam consuetudine & usu condisceret. Lalemantius cum sociis reliquis Quebeci constitit, ut Gallos urbi amplificandæ ornandæque intentos excoleret, simul ut fundamenta poneret novi collegii, cui extruendo Renatus Roaltius, adolescens ex illustri Gamachiorum apud Picardos familia oriundus, nuperrime Societatem ingressus, partem sui patrimonii transcripserat. Duobus vix mensibus interlapsis, novi sacerdotes ad recentem Quebeci familiam ex Gallia venierunt, Philibertus Noyrotius, & Annas Noæus, cum domesticis ministerii adiutore, ac secum diversi generis opifices fere viginti adduxere, partim ad sacram ædem ædificandam, partim ad cultum agrorum conductos. At enim coloni Quebecenses a rebus nostris, atque ab ipso Societatis nomine ita abhorrebant, ut vix quidquam ad eorum utilitatem præstari posset. Ægre inveniebatur qui Patrum uti opera vellet, sive ad conscientiæ regimen, sive ad ministerium sacrorum. Si quas haberent nostri conciones, vix erat qui concionantibus aures daret. Eorum consuetudinem plerique refugiebant. Adeo mentes hominum occupaverat calumnia ab Hugonotis conficta, nec privatis tantum colloquiis, sed etiam scriptis editis disseminata, venisse Jesuitas in Canadam ad mercaturam faciendam scilicet, non ad religionem amplificandam: pecunias a bonis Missionariis, non lucra animarum quæri. Hanc opinionem alebat præcipue libellus pestilens haud ita pridem vulgatus in Gallia sub titulo Anticotoni, cujus multa exemplaria per manus populi volitabant. Cæterum colonorum alienatio vehementior, quam diuturnior fuit. Viri nequaquam mali, ut Patrum mores & instituta intueri propius cœperunt, facile præjudicia deposuerunt, utque est Gallorum indoles aperti animi & candidi, ultro fasti errorem suum, temere se credidisse inimicorum testimonio dixerunt. Amoto in hunc modum obice, qui operam Patrum a catholicis abstinerebat, alius supererat multo ad amoliendum difficilior, qui ethnicorum institutionem morabatur. Tota nempe commercii administratio in nova Francia penes Calvinianos erat, qui orthodoxi dogmatis odio pene usque ad insaniam inflammati, indigenas a nostris ministeriis arcebant, eorum animos pervertebant, potius ut ethnici esse quam catholici mallent, suadebant. His perspectis rebus Noyrotius, etiam recens Quebecum appulsus, retro in Galliam rediit. Redeundi causa duplex: una interior, & gravior, sed occulta, ut hæretici Calviniani e Canada pellerentur: altera, quæ palam ferebatur, ut Gallis specimen quoddam Canadæ regionis præberet in adolescente, annos admodum septendecim nato, nec, ut inter barbaros, ignobili, quem secum deducebat in Galliam. Amnatacha nomen adolescenti, liberalis indoles, ingenium acre ac vividum, nonnullus etiam urbanitatis & elegantiae color, qui vulgo in barbaris rarus. Itaque brevi gallice loqui, ac scribere didicit, christianæ vero legis præcepta facile memoria complexus est. Delatus Rothomagum, cum se ostenderet baptismi cupientissimum, baptismo est consignatus. Placuit autem apparatus adhibere, & istas gentis Canadæ primitias præcipua celebritate superis offerre. Illum Archiepiscopus Rothomagensis Franciscus Narlaus salutis aqua tingendum sumpsit, Henricus Longavillaus Nortmanniæ Prorex sacro de fonte suscepit, deque Regis Christianissimi nomine Ludovicum appellavit.

218.
Coloni Quebecenses Societatem averfantur, & quare.

219.
Catholici nobis conciliantur, at non item Calviniani.

220.
Adolescens Canadensis solemniter in Gallia.

221.
Nostri pellendos curant Canada Calvinianos.

Noyrotius interea de negotio, cujus præcipue causa veniebat, sollicitus Lutetiam erat profectus, Vantadorium, & alios aulae proceres de statu rei Canadæ certiores facturus. Singulos autem conveniens, ostendebat quantum in ea regione incommodarent progressibus religionis hæretici negotiatores, qui per occasionem mercimoniorum miram haberent facultatem propagandi erroris, aut saltem arcendæ veritatis: nisi exturbarentur, & iis catholici subrogarentur, nihil admodum posse confici ad salutem Canadensium demonstrabat. Facile per-

persuasit plerisque id ita fieri oportere. Verumtamen longæ deliberationis negotium, quamvis arcano ageretur, manavit ad Calvinianos, qui ob eam rem vehementer efferati, moliri multa cœperunt, ut ignominiam ejectionis a se depellerent, converterentque in ejus potius auctores, & architectos. Illud primum sibi faciendum statuerunt, ut Patres Quebeci commorantes necessariis vitæ præfidiis carerent, si forte egestatis impatientia locum sponte desererent. Itaque, cum Noyrotius onerariam parasset ad comportandos Quebecum commeatus, quibus Patres ad usum vitæ indigebant, dederunt operam ne eo anno vela faceret, ejusque diligentiam variis artibus eluserunt. Et quia studere nostris, & eorundem consiliorum esse conscium suspicabantur Camplenium, Quebeci præfectum eximie catholicum, ei quoque annonam & belli copias malignius parciosque miserunt. Rumorem quin etiam dissipandum curarunt in nova Francia, P. Noyrotium eo revertentem, facto naufragio periisse. Sed istæ artes adeo nihil suis profuerunt artificibus, ut nocuerint potius, & malum quod avertere conabantur maturaverint. Patres Quebecenses, cum de Noyrotio nihil rescire certo possent, & in dies annona ingravesceret hæreticorum malignitate, re cum coloniæ primoribus in deliberationem vocata, P. Lalemantium propere in Galliam jusserunt cum mandatis, ut provideret utilium copiam, & quam citissime conveyendam curaret. Jussa fecit Lalemantius, per eamque occasionem advectus Parisios, quæcunque Noyrotius Vantadorio, & regii consilii proceribus exposuerat, confirmavit, scilicet nihil magnopere in nova Francia vel suscipi, vel fieri posse ad Dei gloriam, & barbarorum salutem, quamdiu publica rei administrandæ pars aliqua penes Calvinistas foret. Ab his investam discordiam, annonæ difficultatem, & gravissima pericula, quibus colonia universa laboraret. Evangelii ministros vexari, indigenas alienari, vias omnes religionis disseminandæ præcludi. Audivit hæc Armandus Cardinalis Richelius, cujus consiliis Rex Ludovicus XIII. plurimum utebatur, & amotis hæreticis, Canadensem negotiationem, & coloniæ Quebecensis administrationem ad catholicos deferre constituit. Igitur pro ea qua valebat auctoritate & solertia, sodalitatem catholicorum convellit, qui novæ Franciæ agros inter se partirentur, quam optimo jure in posterum possidendos, fructusque omnes vel soli natura, vel cultorum industria partes dividerent inter se pro portione sortis, quam in commune singuli contulissent. Una imponebatur lex, ut præter coloniam Quebecensem, novas subinde fundare studerent inter barbaros, suoque sumptu certum alerent numerum sacerdotum, qui religioni propagandæ operam darent. Quo hæc facilius perficerentur, Cardinalis ipse Richelius, repenso Duci Vantadorio quanti Canadensem emerat præfecturam, unum se rei nauticæ, ac totius Canadicæ mercaturæ præsidem constituit, quippe satis sciens locupletissimos quosque coituros in eam societatem, cujus ipse princeps, dux, & patronus esset.

Nec sua illum fefellit opinio. Coivere statim supra centum, non minus opibus quam pietate præstantes, quorum communi sumptu quatuor adornatæ sunt naves cum vario genere mercium & commeatum, ut Quebecensibus jam ad ultimum inopiæ redactis suppetias irent. Navibus impositi de Societate P. Carolus Lalemantius, & P. Joannes Raguenaus, præter duos fratres rei domesticæ curatores. Additus quem sæpe dixi P. Noyrotius, qui tamen vehi maluit actuariolo, quod sibi ipse pridem conduxerat. Subsidium Quebecensibus afferebatur opportunissimum, nisi præclaris cœptis fortuna defuisset in ipso exitu. Anchoris Dieppæ sublatis, navigatum quidem est prospere ad oram usque Canadensem. Verum ubi naves in ostia fluminis, cui a S. Laurentio nomen, investæ fuerunt, Anglorum dolo, & præfecti etiam Gallici, qui classem ducebat, temeritate, fructus tot consiliorum ac sumptuum misere periit. David Kerlius Anglorum in Virginia præfectus, de Gallorum profectio certior ab Hugonotis factus, fauces Sanlaurentiani fluminis obsidebat cum valida classe, numero navium militumque, & omni paratu bellico

222.
Qui dum nostros insectantur, suis artibus sibi nocent.

223.
Cardinalis Richelius Canadensem negotiationem transfert ad catholicos.

224.
Catholici plures Quebecum navigant cum quibusdam ex nostris.

225.
Prælium committunt cum Anglis infelici exitu.

226.
Angli Quebeco potiuntur.

fris longe superior. Eum ut vidit Gallus, etsi vitare occursum adhibita diligentia posset, & imparis prælii aleam declinare omnino deberet, navibus præfertim annona, & inbelli vectorum turba gravibus, stolidæ ferocia conferere pugnam maluit. Sex ipsas horas fortissime certatum est. At demum Galli, quod in tanta virium iniquitate necesse erat, navium suarum alveis misere laceratis, deditionem fecerunt. Militibus vectoribusque, quibus ferrum aut unda pepererat, vita, libertas, & copia navigiorum, quibus in Galliam reverterentur, præbita. Patres Lalemantius & Ragueneus avecti prius Londinum, mox Marchioni Tricastellio Ducis Lotharingorum Legato condonati, & in Galliam remissi. Noyrotius cum expedito suo actuariolo elapsus in ipso ardore certaminis, & quantum oceani veterem novamque Franciam interluit relegere ausus, multo ante in Galliam se receperat. Eo interea prælio res Gallorum, æque ac religionis in illa plaga penitus conciderunt. Arx ipsa Quebecensis, ut erat omnibus non solum belli, sed etiam vitæ præfidiis destituta, Anglo victoriæ cursum prosequenti dedita est: direpta Societatis domus, qui in ea debebant Patres repetere Galliam jussi. Triumpharunt de tali eventu hæretici Calviniani, non tamen diu. Rupellæ expugnatio brevi cladem hanc tantam reparavit, quæque secuta est pax cum Anglis, Gallos, Societatem, & religionem in Canadam reduxit. Sed hæc erunt alterius loci.

